

QVEM GENVIT
ADORAVIT
Ascensus Moysis in montem Seu DE ORATIONE Tractatus Tribus Stationibus ac Vijs Purgatiua Illuminatiua Vnitiua distinctus per P. Ioannem Crombecium Soc^tis IESV.
S MARTINVS
S BERNARDVS
Typis Petri Gheubels Typog AVDOMARI 1618
CVM GRATIA ET PRIVILEGIO

LIBER PRIMVS

DE ORATIONE.

IN IMAGINEM DEIPARÆ VIRGINIS FILIVM INFANTEM ADORANTIS.

QVID AGIS MAGNA MATER ET VIRGO?
FILIVM ADORO.
VTIQVE DEVS EST: DOMINVS MEVS; DENIQVE ET FILIVS MEVS.
IDCIRCO, AD EIVS, VT DEI MEI PEDES PROVOLVOR.
REGIS ET DOMINI MEI MANVS DEOSCVLOR;
FILII DENIQVE MEI FACIEM VENERABVNDA COMPLECTOR.
ACCEDAM QVÆSO ET EGO.
IGITVR, PEDIBVS EIVS PROVOLVTVS, DEVM MEVM ADORO.
SPE ERECTVS REGEM, EVNDEMQVE DOMINVM CÆLI ET TERRÆ,
REDEMPTOREM ITEM MVNDI AGNOSCENS
MANVS PRENSO, ATQVE DEOSCVLOR.
DENIQVE AB AMANTISSIMO PATRE, ALTER PRODIGVS, PERPETVÆ PACIS OSCVLVM EXORO.
ET NE VACVVS ACCEDAM,
OFFERO ILLI LIBELLVM HVNC.
QVIPPE PARVVS EST ET INFANS: ILLIVS TAMEN AVCTOR EST.
TV DOMINA,
GRATVM SIT MVNVS EFFICIAS,

QVEMADMODVM VT SCRIBERETVR, OPEM TVLISTI.

FAC ETIAM,

VT EGO, QVÆ SCRIPSI, PRIMVS ET FACTO EXEQVAR, ET ELOQVAR VERBO;

DEINDE QVI LEGERINT, ET AVDIERINT.

SIT IESV CHRISTO DEI FILIO,
EIVSQVE MATRI
GLORIA PERENNIBVS ANNIS. AMEN.

ADMO-

ADMODVM R^do. PATRI DOMINO MARTINO TIRANTIO MONASTERII DE CLARO-MARISCO, ARCHIMANDRITÆ DIGNISSIMO.

S. P. D.

CVr tuis auſpicijs, Veneran-de Domine, ſecundùm Deum & magnam eius Matrem, hunc librum in lucem prodire placuerit, arbitror te minimè latere: voluiſti enim à me diligi, quem tui obſervantem cognoveras. Obſervavi ſanè, & quidem virtutis nomine, quæ te ad dignitatem hanc inter plures idoneos (quæ laus eſt non minima tui Cœnobij) provexit. Enimverò illud fuit eorum qui à Principe Sereniſſimo ſuffragijs ex-

cipiendis (quorum pars maior te expetijt) delegati fuêre, iudicium consentiens.

B. Bernardo viro sanctissimo, qui monasterium vestrum præsens extruxit, hunc etiam debebã honorem; quem in te, vt filio in Christo genuino, venerari decerno. Speraui quoque pijssimos, ac Religiosissimos Alumnos tuos, quorum vita, & conversatio, ex instituto, tota in cælis est, avidè quæ de oratione scripsi, nõ exiguo spiritus emolumento lecturos; præsertim ingenuos illos, speique optimæ tyrones octo, quos ab inauguratione tua in numerum tuorum ascivisti. Denique cur eum non ornem, quẽ Paulus V. Pontifex Maximus, anno preterito Pontificali infula, vsuque Pontificalium donavit, at-

que

que te primum, & in te omnes futuros istius monasterij Prælatos, tanquam illustri virtutis præmio exornavit?

Munus quod offero parvum est, & meritis tuis impar. magnum erit, si tibi gratum fuerit. Bene vale Venerande Præsul, ac diu Christo, tuísque vive.

Ioannes Crombecius.

APPROBATIO REVERENDISSIMI Domini D. IACOBI Blasæi Episcopi Audomarensis.

LIbrum P. IOANNIS CROMBECII, *De Ascensu Moysis in montem, sive De Oratione*, diligenter perlectum & expensum orthodoxæ fidei, bonisque moribus per omnia congruum, pietate iuxtà & eruditione, optimisque documentis, non modò instituendæ orationis; sed & summæ perfectionis christianæ, quæ haberi potest in hac vita, per orationem obtinendæ refertum, calculo nostro comprobandum censuimus, & verò vt in plurimorum vtilitatem typis mandetur, operæ precium iudicamus. Actum Audomaropoli 19. Augusti 1617.

F. IACOBVS Episcop. Audomarensis.

INDEX

INDEX TEXTVVM VIGINTI DVORVM ET SECTIONVM.

LIBRI DE ASCENSV MOYSIS IN MONTEM;

PARS, SEV STATIO PRIMA.

VIA PVRGATIVA.

TEXTVS PRIMVS.

Ascend.

SECTIONES QVINQVE.

TEXTVS SECVNDVS.

Ad me.

SECTIONES DVÆ.

TEXTVS TERTIVS.

In montem.

SECTIO VNICA.

TEXTVS QVARTVS:

Et esto ibi.

SECTIONES NOVEM.

1. *De præcepto atque necessitate orandi.*
2. *De distractionibus earumq; origine seu fontibus.*
3. *De distractionum fonte, qui à natura imbecillitate proficiscitur.*
4. *De fontibus distractionum, quæ ex hominum culpa promanant.*
5. *De negligentia secunda, causa culpabili distractionum.*
6. *De otio, tertia causa culpabili distractionum.*
7. *De scurrilitate, quarta causa culpabili distractionum.*
8. *De nimijs occupationibus, quinta causa culpabili distractionum.*
6. *De distractionibus tertij generis, quæ dispensatione divina proveniunt*

TEXTVS QVINTVS.

Et dabo tibi.

SECTIONES QVATVOR.

1. *Promissiones Dei esse conditionatas. Orationi esse iungendam mortificationem.*
2. *Oranti certa promittuntur.*
3. *De fructibus orationis, quæ dispositioni orantis respondent.*
4. *De fructibus, orantis petitioni respondentibus.*

TEX-

TEXTVS SEXTVS.

Tabulas lapideas.

SECTIONES TRES.

1. *Quæ & quales hæ tabulæ fuerint.*
2. *Fructus item orationis, conscientiæ munditiès, & rectitudo.*
3. *Alij quinque fructus orationis.*

TEXTVS SEPTIMVS.

Legem & præcepta.

SECTIO VNICA.

De alijs orationis fructibus.

TEXTVS OCTAVVS.

Quæ scripsi.

SECTIO VNICA.

Alij orationis fructus.

TEXTVS NONVS.

Vt Doceas eos.

SECTIO VNICA.

Orationis non vulgaris fructus, zelus animarum.

TEXTVS DECIMVS.

Surrexerunt Moyses & Iosue Minister eius

SECTIONES DVÆ.

1. *Qui, & qua ratione ad montis ascensum Deiq; congreßum admittendi.*
2. *Qui in orandi studio præire, qui subsequi debeant.*

TEX-

TEXTVS VNDECIMVS.

Ascendensque Moyses in montem senioribus ait: expectate hic donec revertamur ad vos.

SECTIO VNICA.

Impedimentis orationis alius modus ponitur.

TEXTVS DVODECIMVS.

Habetis Aaron & Vr vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.

SECTIONES QVATVOR.

1. *De quæstionibus (quæ in hac vita orantibus obesse possunt) ad superiorem referendis, deque earum remedijs.*
2. *De quæstionibus quæ ad confessarium referri debent. Et inter cætera de scrupulis.*
3. *De eorum remedijs in septem paragraphos divisa*

Paragraphus primus. Remediorum initium à medicis exquirendum esse.

2. *Alacritatem animi conscientijs afflictis esse comparandam.*
3. *Scrupuloso non facilè iudicandum de lapsu in peccatum mortale, vel etiam veniale.*
4. *Examen conscientiæ, & confessionem sacramentalem (nisi modus ponatur) scrupulosis vitanda tanquam scopulos perniciosos.*
5. *Iniuriā divinæ clementiæ per scrupulos irrogari.*
6. *Testimonium conscientiæ, constantemque in divino obsequio voluntatem plurimùm scrupulis contem-*

tem-

extinguendis esse adiumento.

7. *Fidem & obedientiam præsentissimum extinguendis scrupulis esse remedium.*

STATIO SECVNDA, MOYSIS IN MONTEM ASCENDENTIS.

De via illuminativa ac oratione mentali.

Proficientibus & perfectis non deesse laborem, ac impedimenta, quæ superent.

TEXTVS DECIMVS TERTIVS.

Cumque ascendisset Moyses.

Perfectio viatorum maxime amovendis impedimentis continetur.

TEXTVS DECIMVS QVARTVS.

Operuit nubes montem, & apparuit gloria Domini super Sinai.

Nubis & ignis coniunctionum significatio.

TEXTVS DECIMVS QVINTVS.

Et apparuit gloria Domini super Sinai tegens illum nube sex diebus.

SECTIO VNICA.

Dispositio ad montis ascensum, est diffidentia sui, & confidentia in Deum.

TEXTVS DECIMVS SEXTVS.

Sex diebus. Septimo autem die.

De septem rupibus seu gradibus proficientium in studio orationis.

Prima

Prima rupes quæ in die caliginis superatur, explicatur.

SECTIONES QVINQVE.

1. *Dies secunda, quæ absconsionis dicitur, in qua secunda rupes ascenditur.*

De studio latendi, ac solitudine.

2. DIES TERTIA.

De tertia rupe, Ignorantia ac cognitione suipsius.

3. DIES QVARTA.

De quarta rupe, Ignorantia & cognitione Dei.

4. DIES QVINTA.

De quinta rupe, confidentia in Deum.

5. DIES SEXTA.

De rupe sexta, perfecta sui resignatione.

STATIO TERTIA.
MOYSIS IN MONTEM ASCENDENTIS.

Via vnitiva, seu de contemplatione.

TEXTVS DECIMVS SEPTIMVS

Septimo autem die vocavit eum de medio caliginis.

SECTIONES TRES

1. *De die septima, & vltima rupe, atque impedimentis contemplationis superandis.*

2. *De sex alis, quibus anima in montis verticem seu contemplationem transmittitur.*

3. In-

3. *Industria quatuor.*

De quatuor gradibus septimæ rupis superandis, & accessu ad montis verticem.

TEXTVS DECIMVS OCTAVVS.

Erat autem species gloriæ Domini.

SECTIONES DVÆ.

1. *Contemplationem quæ quatuor potissimum actibus perficitur, esse speciem ac figuram gloriæ Dei. Cognitio seu primus actus explicatur.*
2. *De secundo actu contemplationis, qui est amor Dei.*

TEXTVS DECIMVS NONVS.

Super verticem montis.

De dignitate contemplationis, deque tertio actu eiusdem, nempe admiratione.

TEXTVS VIGESIMVS.

In conspectu filiorum Israel.

SECTIONES DVÆ.

1. *Contemplationis & beatitudinis collatio: de zelo item animarum, & humilitate servanda.*
2. *De delectatione, actu quarto, fructúque contemplationis.*

TEXTVS VIGESIMVS PRIMVS.

Ingressúsque Moyses medium nebulæ ascendit in montem.

SECTIO VNICA.

De alijs contemplationis fructibus.

TEX-

TEXTVS VIGESIMVS SECVNDVS.

Et fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

SECTIONES QVATVOR.

1. *De mora in oratione tenenda, & eius causis.*
2. *De significatione quadraginta dierum, quibus Moyses cibo caruit.*
3. *Iejunij solemnis quadraginta dierum antiquitas & obligatio.*
4. *Rationes instituti sacrosancti iejunij dierum quadraginta, eiusque fructus.*

FINIS.

INter mortales, orandi, meditandi, contemplandique normam vnus Moyses, exemplo, verbo, scriptoque nobis eximiè præbuit, edidit, atque consignavit. Multa ei divinitus præsidia data. Vtpote ex matris vtero, ex aquis, ex domo Pharaonis, singulari providentia, regendo Dei populo, vtque summi numinis interpres domesticus, & (si ita placet) secretarius, & vt denique amicus esset, destinatus. Loquebatur ei Dominus, non modò per ænigmata, vel litteras, aut internuntium, sed sicut amicus, & quidem familiaris ad amicum suum. Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo. Deuter. 33. 12.
Quasi in thalamo, tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. *Quid enim frequentius in eius libris, quàm de recursu ad tabernaculum Domini auditur? Ad colloquium cum Deo dum vocatur, ei rubus apparet ardens, etsi incombustus, quem vt accedat, calceum è pede detrahit; ex animo, quidquid animale, caducum ac terrenum est, deponit. Ex hoc consortio admiranda produci portenta. Pharaonem cum exercitu in mari sternit; Amalecitas debellat; Deo irato & populum prævaricatorem perdere volenti, manus quodammodo ligat, & brachium extentum ne percutiat, impedit. Quid? Quod ex conversatione cum Deo, vultu ita radijs collustrato apparuerit, vt populus Israëliticus non potuerit in eum oculos intendere? Accedit, eum ijs virtutibus, quæ muneri tanto exercendo famu-*

lantur, egregiè fuiſſe præditum. Erat enim ſummè manſuetus, atque perturbationibus, quæ lucem quietemque ab animo eripiunt minimè obnoxius. Parum ſanè idonei vt cum Domino in tabernaculo verſentur, qui inquieti, turbati, intractabiles ſunt, & perpetuis animi affectionibus agitantur. Moyſes famulus Domini mortalium omnium ſuaviſſimus fuit. Huic laudi ſuffragabatur ſingularis animi demiſſio: ardens in Deum caritas, animus ſincerus & rectus: ad labores indefeſſus atque invictus. Plura cernere licebit in figura quam inpræſentiarum explicandam myſticè ſuſcepimus. In hac Moyſes quidquid de oratione dici poteſt, complectitur, tamque graphicè atque appoſitè vt nihil, quod ad naturam orationis, eius partes, fructuſque eximios ſpectat, prætermiſiſſe videatur.

In tres partes rem totam dividemus. Prima continebit ea, quæ ad viam purgativam; ſecunda, quæ ad illuminativam: tertia quæ ad vnitivam pertinent.

Hic, incipientes ad munus orationis parantur, proficientes progreſſum faciunt. Qui perfectionis aliquid nacti ſunt, ſubſidij non parum ac ſolatij accipiunt.

Quia verò ſingula verba ampliſſimam ſcribendi dicendique copiam ſuppeditant, verba textus pro titulis, aut capitibus vſurpabimus: etſi ij ampliores campos ad excurrendum contineant; per ſectiones, clarioris methodi gratiâ, conceptus partiemur.

TRACTATVS DE ORATIONE EX FIGVRA MOYSIS IN MONTEM ASCENDENTIS. DEPROMPTVS.

VIA PVRGATIVA.

Dixit Dominus ad Moysen.

Vers. 12. *ASscende ad me in montem: & esto ibi: daboq; tibi tabulas lapideas, &* Exo. 24. 12.
legem, & mandata, quæ scripsi, vt doceas eos.
13. *Surrexerunt Moyses & Iosue minister eius; Ascendensq; Moyses in montem Dei.*
14. *Senioribus ait. Expectate hic, donec revertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiscum: Si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.*
15. *Cumq; ascendisset Moyses, operuit nubes montẽ.*
16. *Et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube, sex diebus: septimo autem die, vocavit eum de medio caliginis.*
17. *Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis*

ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israel. Ingressusq Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

TEXTVS PRIMVS.

Ascende

De Natvra Orationis.

De virtutibus tractādi ratio optima. 1. Qvi de virtutibus tractant, varij varios sæpe fines sibi proponūt. Nonnulli earum naturam investigant, & in illa sola cognitione acquiescunt. Alij scientiæ cupiditate incitati, docti ac sapientes magis dici, quam esse desiderāt, sola illa laude contenti. Alij ad dicendum ac suadendum, scientiam hanc comparant, parum soliciti an diserti sermone, deserti ne ac destituti virtute habeantur, modò eloquētes æstimentur: vt qui in arbore folia admiretur, fructus negligat. Optimè ij de virtutibus tractare videntur, qui & naturam virtutum apprimè investigare, nosseq; desiderāt; omne tamen studium ac cognitionem ad praxim referunt, eum imitati, qui vineam plantat & colit; qui agrum semente investit, vt vinum delibet atq; hauriat, paneq; satietur.

2. De

2. De natura virtutum tractare, haud ita forte difficile est. Sed earum usu atq; exercitatione imbui, illustrari, accendi, atque ex hoc fonte rivos producere, salientes aquas huc illucq; dispergere, audientes madefacere; ex hoc igne flammas, ignitasq; sagittas acuere, Deo, rationiq; saxeos animos rumpere ac subijcere, *hoc opus, hic labor est*. Solent homines avidiores esse scientię, quam laboris & virtutis; sine qua tamē parum proderit omnis eruditio, quæ inflare solet non ædificare. *Virtutū praxis, theoriæ preferēda.*

3. De natura orationis disserere non adeò laboriosum videbitur. Rationem vero ac methodum convenientem tradere, & rudes in sublime transvehere, manuq; ducere, experientię est; quam etsi non profitear, imitabor tamen. *Ruth peregrinam, vt messorum sequens vestigia, spicas colligam remanentes.* Quod à Patribus didici; quod in alijs observavi; quod à puero audivi, non gravabor micarum mearum sub mensa Dominorum collectarum alios facere participes. *Rut. 2. 14.*

4. Quia verò *omnis quæ à ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur id de quo disputetur*, merito quæri potest; num oratio sit mentis in Deum elevatio: id enim asserere videmur dum hoc textu primo *ascensionis* nomen ceteris præponimus. Vox ipsa nihil tale pręsefert. Est enim orare, precari, supplicare, rogare eum, à quo quip- *Cic. l. 1. offic.* *Oratio quid?*

Hom. 5. quippiam obtineas. Ita enim Sanctus Basi-
ora. in lius. *Oratio*, inquit, *est boni cuiuspiam petitio,*
marti. *quæ à pijs effunditur.* Bene quidem a pijs; si qui
Iulitā. tamen nondum pij; instent, vt tales evadant,
non excluduntur: & illi pij in hoc genere
Iudit, 9. censendi sunt, qui ex pio motu ad Deum re-
16. currunt, *cui humilium, & mansuetorum semper*
Psa. 101 *placuit deprecatio. Respicit in orationem humilium,*
18. *& non sperni: preces eorum. Præparationem cordis*
Psal. 9. *eorum audit eius auris*; & si quis dicat *Confitebor*
17. *adversum me iniustitiam meam Domino,* audiet; *&*
Psal. 31. *tu remisisti impietatem peccati mei.*
14. 5. Vt autem scriptorum varia loquendi de ora-
Tres in tione ratio clare cognoscatur: tres in orante
oratione actus distinguendi veniunt. Qui petere vult,
actus ob- aliquid desideret, oportet: desiderium enim,
servandi petitionis origo est. Quid enim preceris, si
1. nullo traheris desiderio? Quod si desideriū
Desde- ferueat, etiam oratio ardens subsequetur.
rium. Desiderium tamen hoc, in se oratio non est.
2. 6. Alter actus est expositio practica desiderij
Petitio. nostri, qua Deo persuadere conamur, vt de-
siderium nostrum impleat, identidem vrgē-
do, precando, rogando vt votis piè respon-
deat. Si quid optemus, quod in potestate nos-
tra sit; ex vi & imperio voluntatis, effectus
statim enascitur; vt qui ambulare desiderat,
posito efficaci voluntatis imperio, ambulat.
Qui à subdito quippiam fieri cupit, mandat,
& per obligationem famulo, impositā rem
per-

perficit. At in poteſtate voluntatis noſtræ non eſt, divinam virtutem ſeu potentiam executivam Dei, proximè applicare ad operationem, ſicut vires animæ noſtræ operationi admovemus. Neq; etiam mediatè ſeu interpoſito inſtrumẽto aut adminiſtro, imperioq; adhibito; veluti cum inferiorẽ applicamus, & obligationem imponimus. Nihil habent homines quod Deo imperent, ſed nos eius omnes ſubditi & ſervi; Si quid ab eo obtinere cupimus, id infimis precibus, expoſitione neceſſitatis noſtræ, confidentiæ, ac recurſus ad ipſum, qui nihil odit eorum quę fecit, ſummaq; animi demiſſione eundem inflectere, permovere, atq; vt nobis quod petimus largiatur, inducere conamur.

7. Actus tertius, noſter non eſt, ſed Dei indulgentis ac concedentis quod petimus, eſtq́, collatio ac conſecutio beneficij deſiderati. Primus non eſt oratio, nam deſiderium motus eſt animi, quo rem amatam appetimus, & in eam ferimur. Hic motus ad orandum impellit, non orat. Collatio beneficij, non eſt oratio, ſed illam ſequitur vt fructus, & deſiderij, & orationis. Ex quo patet S. Baſilium naturam orationis optimè expreſſiſſe cum eam *boni cujuſpiam petitionem eſſe* definivit. 3. *Beneficij conſecutio.*

8. Quia verò qui orat cum Deo loquitur; nec enim putandum eſt Deum omnino tacere. Ille namq; nos ad orandum impellit, auctore *Oratio, colloquiũ cum Deo dicitur.*

Rom. 8. Apostolo. *Spiritus*, ait, *adiuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Cum autem spiritus postulare dicatur, non sine nobis postulat, sed impellit nos, & suggerit viresq; suppeditat, ac desideria ad ritè postulandum. Vnde subijcit Apostolus. *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus; quia secundum Deum postulat pro sanctis:* nempe sanctos, quod Deo placitum est postulare facit: Consequenter etiam Deus votis nostris, ac orationi respondet, nobisq; colloquitur, lumina desuper effundens, & scientiã quandam mysticam; Atq; hæc cognitio; ab usu, & experientia petitur, eaq; causa est, cur Sancti Patres, orationem sermocinationem, ac colloquium cum Deo indigitant. Certe Gregorius Nissenus conversatione cum Deo; Chrysostomus, colloquium appellant; quod qui orent, conversentur, sermocinentur, colloquantur cum summa illa Majestate. *Oras* (ait Beatus Hierony.) *loqueris ad sponsum; legis, ille tibi loquitur.*

Deum etiam loqui in oratione.

Oratione 1. de oratione Dominica.

Hom. 30 in Gen.

Epist 22 ad Eust. de custo di virgi.

9. Discrimen illud est inter lectionẽ & orationem. Qui legit oculos per scripturarum lineas, verba, atq; sententias diffundit, & si pius adsit attentusq; animus, interno susurro, divinus spiritus admiranda suggerit; lumine cælesti, paginis cordis nostri illustratis, scripturam novam exarat, & verba, sententiasq; longè

Discrimẽ inter Ora. et lectionem.

longè sapidiores ingenerat. Quod olim Spiritus Sanctus dixerat, *Et erunt omnes docibiles Dei.* *Ioan. 6. nu. 45.* Hoc experiuntur, qui eo spiritu, quo res sacræ scriptæ sunt, oculis hauriunt. *Isa. 54. nu. 13.*

10. Qui ergo orationi dant operam, Deo loquuntur, & ipsos pariter Deus alloquitur. Iisdem pæne verbis, hoc ipsum dicrimen, explicat B. Augustinus. *Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, cum Deo loqueris.* *In Psal. 85.* Quid vero excellentius, vermiculum terræ, accessum ad tantam habere majestatem? Ad Principes non patet aditus, vt eos videas, & libellum tuum porrigas, quot horas perdere, quot molestias devorare, quot animi motibus percelli necesse est? Ostiario alio non est opus, quá vt ardenti desiderio pulses; adhibita diligentia quæras; prece supplici postules. *Pulsate,* ait: *Et aperietur vobis, quærite & invenietis, petite & accipietis.* *Luc. 11. nu. 1.* At ubi? omni loco, hora, quicquid volueris. O si hâc doctrinam experti mortales! frequentiores, sane ad ianuam Regis æterni accederent, & quantò ijs ditiores forent, qui in aulæ porticibus soliciti ambulant, & multis annis evolutis egeni, frustratiq; in palatijs consenescunt. Verùm hi promissionem eam non habent, quam Salvator noster, qui mentiri non potest, nobis verbo, scriptoq; confirmavit. *Si quid petieretis patrem in nomine meo dabit vobis.* *Petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis.* *Ioan. 16. 23.*

SECTIO SECVNDA.

Divisio Orationis.

Divisio. 1. Illud ergo in confesso sit, orationis formam in petitione consistere; Pro varietate tamen subiectæ materiæ, aliorumve obiectorum illam diversa nomina, partesq; sortiri. Hinc Divus Paulus ita Timotheum
1. Timo. 2. nu. 1. suum instruit; *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus.* Hortatur etiam Philippenses, iisdem usus nominibus,
Philip. 4. 6. *vt in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones eorum innotescant apud Deum.* Solent homines à Deo aut bona precari; aut mala deprecari, atq; vt hęc a se amoliantur,
1. *in Orationem.* rogare. Eadem verò aut præsentia sunt, aut futura. Itáq; Deum precamur vt nobis bona largiatur, non tantum impræsentiarum, sed vt in futuro, adveniat regnum eius, fiat sanctissima ipsius voluntas. Petitio seu postula-
2. *Postulationem.* tio, partim à priori differre videtur, etsi nonnulli Patres diversi diversa coniiciant, Obse-
3. *Obsecrationem.* crationes, ad deprecationes malorum tam præsentes, quam futuras, Augustino auctore, referri posse videntur; quales hæ sunt, *ne nos*
epist. 59. qu. 5. ad Paulin. *inducas in tentationem: Libera nos à malo.* Actio gratiarum ab aliis facile distinguitur. Estq;

cete-

ceteris poſterior; impetratis per alias petitionum formulas fruitur, auctoriq; beneficij animum memorem, gratumq; rependit. 4. Gratiarũ actio.
2. Dividi etiam poteſt oratio in mentalem & vocalem: & hanc quidem non purè vocalem; non enim oratio eſt, quę ſolą voce conſtat: eadē verò a ratione, a mente, a pia voluntate non proficiſcatur: ſed utraq; coaleſcat neceſſe eſt, ſi orātes coram Deo haberi velimus. Et ſi oratio obligatoria ſola voce cōſtet, graviter delinquit, qui attentionē adhibere negligit. Tales ſunt qui officium divinum, res alias peragendo, alijs colloquendo perſolvere nituntur. *Oculi ſtultorum vſq; in fines terræ.* De ſtultorum illorum numero ſunt, quorum oculi varie circunferuntur orationis tempore, dumq; externa hauriunt, gratiam, quæ alioqui de cœlis diſtillaret excludunt ac profundunt. Si verò oratio libera ſit, non idcirco orantes culpa caremus, ſi vel ſpontè, vel negligentià noſtrà animum aliò transferamus. Quid enim dementius quam (Deo inſpectante, audiente, attendente quid dicamus, quid petamus) nos ipſos quaſi à nobis, noſtroq; inſtituto, ſubrahere, atq; ſubducere? Ridiculum id eſt, meritòq; Deus ſubſannans, nobis hæc regeret. *Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* At de his poſtea.

2. Diviſio

Oratio obligatoria.

Prov. 17 24.

Libera.

Iſai. 29.

3. Mentalis, à mente oritur, & dicitur. Tres

Tres animæ potētiæ concurrunt ad orationē mentalem. animæ facultates eam perficiunt, memoria nempe, intellectus, & voluntas. Memoria res præteritas repræsentat. Intellectus discutit; Voluntas probat vel improbat; & si bona ea sint, reficitur. Addendæ ad hanc mensam aliæ duæ facultates, imaginativa, nempe, & appetitus inferior. Quæ duæ, etsi ex se capaces non sint virtutis, sicut nec rationis, multū tamen iuvant ad virtutum complementum: nam imprimis, intellectus sine speciebus, quæ à sensibus per phantasiam eliciuntur, operari nihil potest. Quæ oculis, auribus, gustu & alijs sensibus hauris, ea colligit imaginativa: & dum intellectus quippiam cōcipere vult, ijs utatur necesse est, formatq; ex ijs, species intellectuales, discurrit, & antecedentibus consequentia nectens, aliquid concludit ac statuit. Appetitus sensitivus suopte genio ad res infimas propēdet, & animum ad eas pertrahit; multumq; obsistit, ne assurgat mens nostra ad considerationem rerum æternarum. Si sensim fieri possit, vt assuetudine atque usu, qui in parte superiori delectationē stabilē generat, etiam facultates inferiores in partem deliciarum pertrahantur; haud dubie operationes mentales, minori difficultate, majori voluptate, complebuntur; Totusq; homo feretur in Deum, dicetq; cum Davide: *Cor meum, & caro mea exvltaverunt in Deum vivum.* Et licet animalis ista

Itē, aliæ duæ, imaginitiva, & appetitiva.

Psal. 83. 3.

pars

pars, canis nomine digna censeatur; *nonne & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum?* *Matt. 15. 27.*

4. Præcipue ergo facultates quæ ad orationem mentalem ordinarie concurrunt, sunt intellectus, & voluntas. Intellectus verò vt divina illa pertractet, opem ac subsidium ordinis superioris requirit; nempe lumē quoddam ac species divinas, quæ similitudinem quandam habeant rerum, quæ sensibus percipiuntur: vt si Deum concipiat, apprehendet immensam quandam lucem implentem omnia; Si animam Beatæ Virginis, efformabit augustissimam Reginam, regio cultu decoram. Quia sine phantasmatum ope, intellectus caligat; vt in conceptibus naturalibus; ita longe magis in supernaturalibus qui sine luce aliqua superioris ordinis elici non possunt. Et hæc quidem via ordinaria.

5. Non enim abbreviata est manus Domini, vt non possit mentem nostram supra sensus elevare, & species omnino cælestes desuper effundere, quæ dependentiæ illius à sensibus defectum suppleant. Verùm quia hæc ad miracula referuntur, & supra naturam sunt, precepta de his dare nec volumus, nec possumus. Multum est quod divina bonitas dignatur haud raro nos visitatione gratiæ suæ, eòq; frequentiùs ac copiosiùs, quo nos paratiores ac capaciores exhibuerimus. Quod *In raptu species intellectuales infundi.*

fiet

Dispositiones ad auxilia supernaturalia recipienda. fiet si peccata, eorumq; occasiones, studiosius fugiamus; Si cum timore ac tremore salutem nostrā prosequamur; Si de nostra virtute ac meritis diffisi; spem omnē in Deum conijciamus; Si sedulò auxilium, opemq; è cęlis advocemus; Si omni animi submissione spiritui sancto locum prębeamus; Si operibus bonis intenti, Deum nobis adsciscamus, eiq; domicilium pręparemus; Si deniq; grati, memoresq; donorum, perpetuò ei gratias tāquam omnium auctori referamus.

Voluntates operationis gratiam requirūt 6. Quod ad alteram facultatē attinet, quam voluntatē esse insinuavimus; illam primas tenere, vt in omni actione tanquam libertatis originem; ita & maxime in oratione mētali certum est. Eius enim est, ceteras facultates incitare, movere, applicare, ac se ipsam adiungere aliarum conatibus. Et quamvis ex proprijs viribus elevari non possit ad intimam cum Deo unionē, rē adeo sublimē, vtpote ordinis superioris naturam omnem excedentis: facienti tamen quod in se est, Deus non denegat gratiam, quæ gratia in eo consistit, vt cum suasione ac rationibus ab intellectu divinitús illuminato manantibus, flectatur sensim voluntas elevata, divina quadā ope ac viribus cælitùs datis; quibus & assurgit & incēditur amore decori cujusdam propositi. Nec ista insensibiliter adveniunt: Habet enim & animus sensus suos; alioquin cur

cur David diceret: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum? Et quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timētibus te perfecisti eis qui sperant in te?* Est ergo voluntas vt principium operationis, & actionum suarum subjectum: ita etiam spiritualis gaudij, omnisq; fructus emergentis sedes ac receptaculum. *Psal. 83. 3.* *Psal. 30. 20.*

SECTIO TERTIA.

De Oratione Vocali.

7. Altera huius divisionis pars, vocalem nobis simul ac mentalem orationem proponit. Huic etymon non male quadrare videtur. Orationis enim vocem D. Hieronymus *ab oris ratione* derivatam, iuxta grammaticos arbitratur: Atq; adeo oratio nō tantum oris sonus dicēdus erit, sed et rationis: quod ita Apostolus expressit. *Psallam spiritu, psallam & mente*; & regius Propheta. *Servite Domino in timore*: &, *in conspectu Angelorum psallam tibi.* Psallere ad vocem pertinet, cetera ad mentē. Quare ita nō orat vocaliter, qui partis alterius seu mentis functionem ac rationis cooperationem omittit, isque minime orare convincitur. Atq; vt utilitates orationis mentalis in suum locum proprium reijciamus; id inpræsentiarum dicendum occurrit; Orationem *Oratio, oris ratio* *Epist. 159 ad Cypr.* *1. Corin. 14. 15.* *Psa. 2. 11* *Psal. 137 2.*

voca-

Oratio initio vocalis usurpanda. vocalem familiariore, magisq; usitatam incipientibus, quam mentalem, cuius usus maxime ad eos pertinet, qui in pietate exercitatos habent sensus. Quis enim statim abdita illa mentis arcana pervadit? *Nemo nascitur artifex*: neq; primo die artis instrumenta tractare, nec partes omnes abditi cuiusdã operis discernere ac componere; nec deniq; opus perfectum in lucem edere, tyro vllus vnquã potuit. Opus arduum, abditum, artificiosum est, summo numini sapiẽter colloqui; mentem ac voluntatem, animi instrumenta, ex arte tractare, impedimenta removere, vagationes amoliri. Quis statim hanc artem calleat, & magister evadat? Vocali ergo utatur (uti sanctos olim initio fecisse, plurimæ testantur historiæ) audiet se, & subsidio oculorum iuvabitur.

Orationes vocales propriæ & mutuatæ 8. Orationũ vocaliũ aliæ proprię, alię mutuatę. Proprię sunt, quę ex vi orantis spiritus exprimuntur; vt ijs contingit qui sub finẽ meditationis, aut in ardore ipsius contemplationis, ex impetu concepti spiritus erumpunt in voces. Item illis qui Deo familiares sunt; ij quippe semper parati sunt ad orandum, & ubi soli, facile cor suum incensa voce, animamq; coram Deo effundunt.

Mutuatæ sunt omnes psalmi, Ecclesię preces, Sanctorum Patrum excercitia spiritualia, meditationes, soliloquia, quibus utimur ad ex-

excitandum pietatis ignem: & quia sæpè inopia spiritus, qui pro nobis orare solet, laboramus, & eo absente nescimus quid oremus; ideo indigemus ope ac subsidio alieno, ne muti coram Domino appareamus. Hoc Christus prævideràt. Ideo nobilissimâ orationem nobis consignauit, qua meliorem qui componat inuenies neminem. Vtiliter quoq; precarij libelli eduntur in lucem, qui varias orationes, ad omnes pœne actiones sanctè peragendas, idoneas continent. Eæ movendi magna vim habet, si quibusq; rebus inchoandis præmittantur, si breves, si idiomate, quod intelligatur, exprimantur. Nihilominus, non ineptæ & inutiles ecclesiæ preces, latine editæ censendæ sunt, si præsertim magna reverentia vel canantur, vel recitentur, prisco, & religiosorum omnium ritu in hunc usq; diem observato. Etsi enim non omnino sententia, seu ipsq; verborum capiatur; *tamen hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Hoc est, Deus intelligit & animi conceptus, & vocum significationes. Deinde qui canunt, vel preces recitant, divinum numẽ sibi præsens constituunt, cui hoc genus laudis, & gratiarum actionis, gratum esse noverunt. Sæpe cantores regibus audientibus occinunt ignota lingua. Sæpe actores versum ignorant, quem recitant. Læti tamen ac gratulabundi hæc illi faciunt, nec minus lubenter audiuntur, quam si ver-

Libelli precarij utiles, lingua vulgari.

Latinæ precationes presertim Ecclesiæ non vi[t]uperandæ.

Sap. 1. 7.

si verborum sententiam caperent. Fateor me sæpe permotũ fuisse cantu, sed maxime psalmodia religiosorũ & sanctimonialiũ, quę etsi vsquequaq; non capiant, quæ concinunt; vt intelligantur tamen optime efficiunt; earumq; pietas miro modo in audientium animos influit, penetrat, ac medullitus afficit.

Orationes idiotarũ laudanda. 9. Sunt & idiotæ qui legendi scribendiq; scientia minime præditi sunt. Recitent Beatæ Virginis coronam; orationem meliorem fundere non possunt. Si mysteria rosarij sacri, mente ruminare interea valeant, precium operæ recipient: Sin minus, non perdunt laborem suum, modo cor ad Deum elevent; desideriũ accensum aliquid obtinẽdi habeãt; de delictis veniam petant; necessitates exponant; reconciliari Deo percupiant; quod à Deo aliquid petant seriò cogitent; & per orationes has quas fundunt meritis Domini nostri se impetraturos confidant.

Orationes ad omnia opera. 10. Vtiliter quoq; recitantur orationes ad omnia opera; vt cum mane surgis, & vestes induis: vesperi cum exuis. Solebant olim monachi sancti, texere corbes vimineas, storeas nectere, humeris onera portare, dumq; hæc agerẽt, orationes interserere. Noverant utilitatem perpetuæ ac continuatæ conversationis cum Deo. Et sanè hac ratione multas dæmonis suggestiones, cogitationes ineptas, tentationesq; evadimus, etsi enim non vsq;

adeo

adeo mens attendat; pium tamen opus faciens se quantum potest Deo adiungit: nec tanta attentio requiritur, dum orationes hæ recitantur per modum laudationis divinæ, quanta dum ex professo nos orationi accingimus, & in particulari per modum colloquij postulamus. Huc facit quod homo ad se frequentius redeat; & dum pulchra aliqua sententia, vel mentio Dei, aut Servatoris vel B. Virginis intercurrit, novo vel lætitiæ, vel timoris, vel doloris, aut spei motu perfunditur, & attentionem renovat. Alia ratio est de precibus obligatorijs, quæ quo mandato, vt fiant præcipitur, eodem ut rite decenterque, persolvantur nos obstringunt.

SECTIO QVARTA.

De Oratione privata & publica.

11. ETsi mẽtalis orationis fructus longè sit uberrimus, & in eo genere beatis mẽtibus, quę sine corporibus, divinis laudibus incubunt, haud absimiles videamur; in hac tamen mortalium regione, orationis vocalis vsus ac necessitas latissimè patet: nam quæ publice peraguntur tremenda mysteria, cantu solemni, et sæpe musico concentu obeuntur, nusquam certe nisi voce, aut clara, aut subinde demissa: sacramenta deinde omnia *Divisio 3.* *Oratio publica vt plurimum vocalis.*

vocis sono conficiuntur: officia diuina tam diurnis quàm nocturnis horis cantu complentur. Benedictiones rerum omnium prece vocali perficiuntur. Pontifices hoc ritu inaugurantur vt etiã Abbates, ceterique Prælati Ecclesiæ. Quid de fontis Baptismalis consecratione bina per annos singulos? Quid de vestimentorum omnium, quæ Sacrificio incruento adhibentur; de Ecclesiarum dedicatione, benedictione, reconciliatione quæ incredibili apparatu fieri solent, proferam?

Vocalis orationis fundamẽtum.

12. Vtique compositi sumus ex corpore & anima, quæ etsi nobilior sit, eiusq; functiones præponderent corporis actionibus, imo & corporis motus ab anima valorẽ omnem mutuentur: nihilominus in hoc mundo tanguntur, videntur, sensibus percipiuntur corpora; animi non item. Hic corporũ non animorũ domiciliũ est; ideo corporales omnes; spirituales pauci. Quid mirum ergo si Sacramẽta, si signa corporea, si officia corporaliter exhibentur? Hinc templa magnifica, diuinis laudibus cantandis extructa, in his amplissimę dignitates, summo cum ornatu & pompa visuntur. Summi Pontifices septi patribus purpuratis in choro: Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Archimandritæ, aliique Prælati utriusque sexus: religiosi varij ordinis; canonici tam regulares quàm sæculares quæ omnia

omnia faciunt ad decus, ornamētumq; ecclesiæ; & hi omnes concinnè ac decorè divina persolvunt officia, instar Angelorum, summa cum dignitate ac splendore in subsellijs concinentes omnipotenti Deo, qui hoc genere obsequij, summopere delectatur, hac enim celebritate, sempiterna illa maiestas cognoscitur, laudatur, colitur, & à falsis dijs ac omni religione impura discernitur. Cumque homines, huiusmodi celebritates atque officia, vel deserunt, vel parvipendunt, vel in ijs se perfunctoriè gerunt, graves Deus immittere solet calamitates; permittit hęreses: religionem in Barbaras remotasque nationes transfert, donec demissis animis culpam agnoscamus, & ceteris postpositis, cultus ipsius ac religionis primam rationem habere re ipsa profiteamur. Hinc bella, pestes, vastitates, ruinę cœnobiorum, ecclesiarum direptiones, bonorum ecclesiasticorum ad sæculares translationes, totius inquam, Reipublicæ interitus. Cur ita? quia divinis honoribus, commoda nostra præferimus, nec primùm, sed nec postremùm quidem quærimus regnum Dei, & iustitiam eius. Ideo bona temporalia tantùm abest vt adijciantur; quin etiam subtrahuntur omnia, sæpeq; repentinus multorum supervenit interitus. *Neglectus officij divini multa mala invehit.*

13. Ceterùm magna dignitas est divinas laudes summæ illi majestati, noctes diesque

occinere. *Beati viri tui, & beati servi tui Domine*
3. Regū. *qui assistunt coram te, & audiunt sapientiam tuam:*
10, 8. cælestes spiritus imitantes incessabili voce laudes tuas decantantes. Quàm iucundum, quàm delectabile, quàm honorificum in conspectu Dei stare, perfrui infinitis visitationibus, solatijsq; quæ liberalissimus Dominus in obsequio suo degentibus rependit.
Luca 24 *Nonne cor nostrum ardens est in nobis*, dum Do-
32. mino IESV loquimur, & ipse nobis loquitur in hymnis & confessionibus, benedicentibus Dominum?

Oratio privata ubiq; fieri potest. 14. Quod non licet publicè, semper privatim cum Deo loqui permittitur, etiam omni loco. *Volo ergo*: ait Apostolus *viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione*. Quod argumentum S. Basilius sic egregiè
Hom. 13 pertractat. *Non locus* (inquit) *sed propositi initium requiritur. Ieremias enim in luto orat, & Deum attraxit. Daniel in Leonum lacu Deum placavit. Tres pueri in camino Deum promeruere. Latro non cruce prohibitus, quin paradisum assecutus fuerit. Iob in stercore Deum ad misericordiam provocavit, Igitur ubicumque fueris, ora.* Hæc Basi-
Hom. 79 lius, cui suffragatur S. Chrysostomus. *Neq;* inquit, *quispiam mihi dicat, quod nequit homo sæcularis continuè per diem orare, & ad ecclesiam concurrere: potest enim & quàm facillimè. Si mentem namq; mundam habeas ab immundis motibus, licet in forosis, sive in via, sive in mari, sive in diver-*

diversorio, sive in officina positus, sive sis ubicumq́ꝫ, Deo poteris invocato, petitionem obtinere.

Nec mirum quod de loco minus esse debeamus soliciti, si sacer haberi commode non possit: nam Dominus à nobis tantum exigit, vt *ingrediamur cubiculū, & clauso ostio illic Deum oremus in abscondito.* Quid si nec cubiculum habeamus? Sanè cubiculum optimum, recessus conscientię nostrę est; illic enim ab omni hominum vana laude securi (quod illis verbis intendit Dominus) tutò orare possumus. Sive ergo privatim, sive publicè, si nobis ipsi non desimus, & Deum ubique præsentem inveniemus, & petitionis nostrę fructum reportabimus. *Math. 6. 6.*

SECTIO QVINTA.

De elevatione mentis in Deum.

25. POtissima superest difficultas in definitione orationis dissolvenda. Divus enim Augustinus naturam orationis in elevatione mentis constituere videtur, dum ait. *Quid autem oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium.* Quæ superne sunt, attolli volunt animos: quomodo enim attinges, quæ in eminenti loco suffixa, si inferne maneas? Vbi deinde invisibilia nisi in cælo? Sustollas *Ser. 230 de tempore.*

te ergo necesse est, si invisibilia, si superna complecti desideres. In eandem sententiam S. Damascenus definit. Orationem esse, *ascensionem mentis in Deum*. Quæstio perelegans, quę non parvas utilitates contineat.

lib. 3. fid. ort. cap. 24.

16. Cum autem elevationem aut ascensionem audis, pręsumis hominem non esse elevatum sed deorsum degere: & cum Sacerdos hortatur populum dicens, *sursum corda*, supponit ea repere, minimeque elevata. Omnino ita est. Audivimus hominem descendisse à Ierusalem in Ierico: item incidisse in latrones, addo, despoliatum; denique plagis inflictis prostratum seminecem. Deus bone, quot casus, quot depressiones ac deiectiones! quonam profundiùs demergi posset adhuc vivens? Verum si abyssus abyssum invocet, & de pręcipitijs peccatorum in baratrum malorum omnium pręsumptionem, aut etiã in gurgitem desperationis incidat, quam difficile erit hic lapsum sustollere? Ex quo arguitur, alios alijs profundiùs demersos, alios alijs faciliùs elevari, faciliùs ad Deum ascendere atq; accedere. Illum difficillimè de quo Sapiens. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*; Hos facillimè de quibus David. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*

Lapsus hominis
In præf. missæ.
Luc. 10. 30.
Psal. 41. 8.
Prov. 18. 3.
Psal. 33. 6.

Status et dignitas ante lapsum.

17. Illud etiam suppono ante lapsum iuxta ordinem divinæ dispositionis, hominem eleva-

elevatum fuisse: non utique esse conditum in nuda natura, sine vllis donis, quę illum supra naturę humanæ vires ac conditionem attollerent. Non ita. Sed eum Deus evexit ad statum atque ordinem naturam excedentem; muniens eius animam participatione divinę naturę: mentem exornans cęlesti quodam lumine, quo arcana ac divina mysteria cognosceret. Non defuere voluntati, sua virtus ac vires, quibus tamquan pedibus, homo graderetur, staretq; constanter, & adversarijs resisteret. At cecidit: elevari ergo rursus debuit. *Eduxit me* (ait David) *de lacu miseria, & de luto fæcis. Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Et, *qui perfecit pedes meos tāquam cervorum, & super excelsa statuens me. Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Confringam illos, & non poterunt stare, cadent subtus pedes meos.* Censetur homo valere si stet in pedes, celeriter, constanterq; ambulet: pessimè verò habere, ac viribus destitui, si jaceat, si exurgere, progredi, currere minimè valeat. Talis erat homo post lapsum, qui absque nova vita, cęlesti gratiâ, viribus internis, virtutibusq; tanquam basibus ac columnis stare, surgere, ambulare, currere nullo modo potuisset. Hoc graphice Apostolus scribens Ephesijs depingere videtur. *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donū est, nō ex operibus,*

Psal. 39. 3.
Psal. 17. 34.
Eph. 2. 8.

ſingulis exceduntur: ita & rerum conditarum gradibus accidit. Infimæ res ſenſu carent, qualia elementa, cælique; quæque ſimilis formæ in ijs continentur; & licet mole corporis nulli cedere videantur: ſuperantur tamen æſtimatione rerũ animatarum (quales ſunt arbores & plantæ) dignitate ac prę-ſtantia. Quantùm verò hæ prioribus præſtant; tantò inferiores ſunt animalibus, quę moventur, magnaq; ſæpe induſtria prędita ſunt; ſicut & iſta comparatione hominis, qui ob rationis eminentiam, magnam cum Deo ac cęleſtibus ſpiritibus habet ſimilitudinem. Quintus gradus eſt hominum & beatarum mentium, dum in via conſtitutę ſunt. Viatores dico, deſtinatos ad ſupernaturalem beatitudinem, ad quam ſine gradu naturam excedente, proportionem habere non poſſunt. Vltimus denique ſupremæ beatitudinis, ad quam ubi pervenerimus, quò aſcendamus vltra non dabitur. Tanta verò diſtantia eſt inter hominẽ ſolis naturæ limitibus circunſcriptum, & virum iuſtum gratia ſublimem, quanta inter lapidem, & plantam, aut etiam hominem & brutum, aut deniq; inter viatorum, & beatorum conditionem. Quid ſi dicam majorem eſſe? credo id ſine hallucinatione; nam intercapedo, quæ inter arborem & equum intercedit in naturę gradibus fundatur: quæ vero inter hominem, purum &

1. Senſu carentium. 2. Rerum animatarum. 3. animaliũ 4. Hominũ 5. Iuſtorũ. 6. Beatorũ.

ac penetrare, intentas orantibus aures habere. In hoc, cardo rei versatur, vt quid sit mentem à fide elevari cognoscamus. Sublevatur mens, dum de Deo cogitamus, avocãtes cogitationes à rerum conditarum speciebus: sic tamen vt non tantum ex vi memoriæ aut naturalis apprehensionis, sed pio maximè fidei & affectu & consideratione: vt si quis matutino tempore Deo se commẽdare volens, genibus nixis vel coram imagine, vel si in templo sit coram venerabili Eucharistia, incipiat sibi ob oculos Christum Iesum presentem statuere, bonitatem admirari, charitatem complecti; voluntati eius ac beneplacito sese conformare, elevari & dicere: *Mane astabo tibi, & videbo quoniã non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus, neq; permanebũt iniusti ante oculos tuos. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctũ tuum, & confitebor nomini tuo.* *Psal. 5.*

20. Hæc cogitatio vt sit fidei duo requirit: nimirum, vt rationibus à fide propositis nitatur, quemadmodum sunt eæ, quæ à scriptura sacra, concilijs, sanctis prophetis ac patribus, qualia omnia mysteria fidei, quæ de Deo, de Christo, eorumque perfectionibus potentia, sapientia, bonitate, infinitate proponuntur. Alterum quod requiritur, est, pia quædã animi commotio seu affectus erga *Actus fidei duo requirit.* 1.

Deum

Deum, sine quo fides insipida est, & difficulter hominem valet elevare: utrumque obseruare licet in orationibus sanctorum, vt cum David exclamat. *Melior est dies una in atrijs tuis super mi lia.* Et *quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*. Hæc oratio & ex fidei rationibus, & affectu in Deum piè procedit. Talia quoque esse conuenit omnia præludia meditationum, & orationum ingressus, nempe vt excitetur memoria rerum diuinarum, quas mente pertractare cupimus, sic tamen vt affectio animi non prætermittatur. Vtrumq; suppeditat gratia præueniens, seu visitatio quædam diuina, tam peccatoribus, quàm iustis: nam hęc, salutares cogitationes ingerit, vel ad reconciliationem quærendam, detestanda peccata, aliam vitæ rationem ineundam, vel ad virtutum actus exercendos, simulq; affectum commovet vt quod salutiferum per divinam inspirationem cognoscimus, illud vel à Deo postulemus, vel iussum lubenter atq; alacriter suscipiamus

Psal.83. *Psa.181* *Gratia praveniens elevat orãtis animum.*

21. Altera virtus quæ nos sublevat, est spes, seu fiducia in Deum: hæc enim ex desiderio boni amati nascitur; producit namq; desiderium spem, vbi res optata possibilis est. Vis autẽ desiderij quanta sit norunt qui aliquid vehementer optant: tanta verò spei contẽtio est, quantum desiderium, à quo illa excitatur

2. Spes.

excitatur: vrgentq; ſimul amor iuxta, ac deſiderium, ſpeſque accenſa attollit animum ſiſtitque Deo, vt quod amat, ac deſiderat, poſtulet donec obtineat. Ex hoc facile notatur differentia inter eum qui deſiderio incenſus, aliquid à Deo obtinere nititur, & eum qui ne quidem vnquam cogitat quid petat; *quia neſcit ſe eſſe miſerum & miſerabilem & pauperem & cæcum & nudum: ſortaſſe enim arbitratur & dicit: diues ſum, & nullius egeo.* Ille namq; rapitur in Dei conſpectum, eius præſentia accenditur, & ſolatio perfunditur, vti cōtigit pijſſimo Regi. *Concupiſcit*, inquit, *& deficit anima mea in atria Domini*. Hic verò dum ad orandum accedit, neſcit quid debeat poſtulare, libellum aperit, & ſæpe oculis animoq; cælorum, terrarumq; vaſtas regiones decurrit: quia nullius rei deſiderio promovetur; ſpe quærendi, conſequendiq; boni nulla impellitur: manet animus vbi eſt, & cogitatio, & ſi petitio ſit verbalis, ſæpe illa quidē, & præter labra non traſgreditur. *Differentia inter ferventē, & tepidum.* *Apoc. 3. 17.* *Pſal. 83. 2.*

22. Si quæ tamen virtus hominem elevat imprimis caritas eſt. Illa in oratione elici vix poteſt, ſine fidei uſu, & forte etiam ſpei: has enim virtutes præſupponit tanquam baſes ſuas, ſine quibus cōſtare non poteſt. Nemo namque fertur in ignotum, & modus cognoſcendi, & agēdi proportionem requirunt idoneam. Cum amor rerum divinarum *3. Caritas.*

rum

26. Id tamen arbitretur nemo virtutum habitus,qui animis justorum adhęrefcunt, ex fe ociofis pares effe mentibus fublevandis, fi quis actum nullum exerat. Iuvant quidem habitus, & difpofitiones funt admodum opportunæ; fed dormiunt latentq; in animis noftris,fi conatus volũtatis eos non vellicet. *Soli habitus nos non elevant.*
27. Primùm ergo excitandæ funt cogitationes de Deo, quem accedimus; de noftra indignitate; de re quã proponere intendimus defideria excitanda; vis omnis, quæ in corpore, vel animis eft admovenda. Senfus externi, interniq; adiungendi; vt fi fupremi Iudicis effigiẽ oculis cõtuearis, formes intus imaginem, quæ affectum inferiorem percellat,& rationem moveat ad quid fublimius, horribiliusq; concipiendum. *Requiritur conatus.*
28. Hinc qui rationem ac methodũ meditãdi tradunt, fuadent precaturo, omnium primùm poplitẽ flectere, orationem aliquam vocalem edere, præmiffa ad imaginem aut ftatuam aliquam reverentia, tanquam fi Deum præfentẽ intueretur. Tum iubent fibi rem de qua cum Deo agere velit menti præfentem efformare; feque velut in locum rei vel gerendæ vel geftæ fiftere. Deniq; mente & cogitatione immergi penitus atq; abforberi,vt nec a comprehẽfione illa facilè eximi queat nec avelli. Vnde fatis liquet, conatus nofter vt interveniat oportere arduamq;
rem

In hac rerum inconstantia, qui cum prophe- 5.
ta dicere iam valent. *Mihi autem adhærere Deo* *Beati.*
bonum est. Duo enim in orante requiruntur; 6.
alterum, vt eò transvolet animus præsensq; *Spiritua*
sit, vbi is est, cui preces deferuntur: qui *les & per*
enim quempiam in oriente existentē roga- *fecti.*
tum velit, in occidente consistere non de- *Psal. 72.*
bet. Alterum vt in eodem loco peroret, con- 28.
stanterq; attendat quid dicat. Hoc beati faci- *Duo re-*
unt; mortales eos imitantur, vt possunt, fa- *quiri in*
ciuntq; quod valent, non quod volunt. *orante.*

30. Superest dicamus qua ratione oratio à B. *Oratio*
Augustino dicatur ascensio animę ad cęlestia, *ascensio*
inquisitio supernorum, invisibilium deside- *animæ di*
rium. Etiam à Damasceno. *Elevatio mentis* *citur, &*
in Deum. Diximus naturam orationis in pe- *quomodo.*
titione consistere; qua de re nullus videtur
superesse dubitandi locus. Dicitur oratio
desiderium invisibilium eo modo, quo causam,
loco effectus nominamus. Est enim deside-
rium postulationis causa, vrgetq; mētem ad
petendam rem cuius ardore impellitur. Est
idem etiam elevatio seu ascensio animæ, ob
vtriusq; orationis nempe, atq; elevationis
concursum ac, vt ita dicam, concomitantiam.
Oratio non est, si mens iaceat, & verba si
quis fuderit, sine mentis elevatione, is verè
non orat, sed verbis aerē verberat. Quomo-
do enim is à Deo audietur, qui ne se quidem
ipsum, & quid dicat attendit, neç audit? Etsi

TEXTVS SECVNDVS.

Ad me.

SECTIO PRIMA.

De modo acquirendi vsum præsentiæ Dei, & retinendi.

ETsi quæ diximus de mentis elevatione sufficere debeant; multa tamen ij, qui eo familiariùs vtuntur, hoc loco desiderari querentur, si de modo, et acquirendi vsum præsentis numinis, et retinendi, dicere prætermittamus. Hæc verò ratio concipiendi Dei præsentis, dirigitur ab intellectu, fide instructo, et caritate incitato maximè si auxilium desuper, lumen videlicet ac singularis animi motus accesserit. Hosq; modos et alios diuinus sp r.tus facile suggeret. Horum primus proponit diuinam maiestatem in Regia cælesti, throno sublimi residentem infinito lumine coruscantem cinctum vndiq; Angelorum, beatorumq; gloria & innumerabilium spirituum laudibus ornatum videntem, regentem, beantem solo nutu omnia. Hanc habuit considerationem David cũ dixit. *In conspectu Angelorum psallam tibi,* et Ioãnes in Apocalypsi pluribus locis; sicut et Isaias. Vidi ait, *Dominum sedentem su-*

Modi varij præsentiæ diuinæ.

1. *In throno regio.*

Psa. 137 2.

Isa. 6.1.

per solium excelsum, et elevatum, et ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphin stabant super illud sex alæ uni, & sex alæ alteri. Sic pagani solē invocant, a quo videri se arbitrantur & omnia accipere.

2. *Christus etiam vt homo intuetur è cælo omnia.* 2. Quod de divinitate diximus, Christi humanitati è cælo in terras prospiciēti tribuere non est difficile. Ita orabat B. Stephannus *videns cælos apertos, & Iesum stantem a dextris Dei.*

Act. 7. 55 3. Idem foret si Iesum nobis à dextris astantem tanquam virum eminentem (qualem depingit Seneca) videremus. *Aliquis* ait, *Vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus; vt sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Ita regius propheta divinam maiestatem astantem sibi concipiebat. *Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Sic beatos spiritus, sic patronos nobis adesse, sic sanctos quos invocamus vel è cælo prospicere vel dextrā nobis claudere, non frustra subinde considerabimus. Et quidem de Christi divinitate extra aleam est, non tantum latus cingere, sed & corpora animosq; penetrare. Beati vero spiritus & adsunt frequenter, & licet in cælo forent, ita nos vident vt non minus nobis opitulentur, quam si propius adforent, sicut & ceteri beati.

Lib. 1. *epist.* 13.

Psal. 15. 8.

Quomodo sancti nobis adsint.

4. Iu-

4. Iuvant etiam non parum imagines ac figuræ, quæ sensus externos internosq; ita feriunt, vt quis in memoriam statim veniat eorum quæ per eas formas significantur, atq; adeo animum abripiunt, vt ipsum prototypum ei copulent. Sic in effigie Christi cruci affixi, ipsum verum Dominum intueris statua illa tanquam veste circumcinctum. 4. *Per imagines.*

5. Facillima vero vti & verissima Dei pręsentis ratio comparatur, quando coram venerabili adorandaq; Eucharistia, mentem animumq; effundimus. 5. *In Eucharistia.*

6. At memores simus, qua ratione Iacob viderit Dominum innixum scalæ, & quasi è vertice mundi, singula quę in eo fiunt prospicientem, vt reddat vnicuique secundùm opera sua. Ideo Deus idem agonotheta actionum nostrarum supremus, qui Iudex futurus est viuorum & mortuorum. Ita esse testantur sacræ literæ. D*escendit* (ait Moyses) D*ominus vt videret civitatem & turrim quam ædificabant filij Adam.* Et Regius psaltes. *Deus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum. Dominus in templo sancto suo: Dominus in cælo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum.* Deniq;. *Tu laborem & dolorem consideras. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* 6. *Deus agonotheta omnia cõsiderat.* Ge.11.5 Psa.52.3 Psa.10.5 Psa.9.14

7. Quod si verum esset vti Philosophi quidam 7.

7\. dam commenti sunt) mundum esse animatum; eiusq; formam, velut animam Deum toti eiusq; singulis partibus intimè adhærescere; facillimus sane modus foret divinum numen alloquendi, cum vbiq; totus & integer esset. Verùm, perfectiùs Deus totus est in singulis rerum conditarum partibus, quàm si illas animaret. Hinc D. Gregorius. *Transeat ergo animus, & ab ijs transcendat omne quod creatum est. In solo creatoris sui lumine fidei oculos figat, quod vnus vivificet omnia, qui creauit Deus, quod vbiq; est, & vbiq; totus.* Deus enim vnicuiq; rei tribuit esse, existentiam, essentiam, & quicquid perfectionis in singulis rebus est. Et hæc omnia sic cõservat ac si singulis momentis eadem produceret: Et si esse suum ab his retraheret, illa prorsus esse desinerent, & in nihilum ruerent, quod longè nobilius potentiusq; est, quàm vivificare aut quippiam animare.

Deus perfectiùs est in singulis rebus quàm si eas animaret.

Homil. 8 in Ezec.

8\. 8. Alij Deum concipiunt velut immensum quoddam lumen diffusum per omnia, penetrans, pervadensq; vniuersa, non minùs quam sol, si mundus foret crystallinus. Ideo Christus dicebat. *Ego sum lux mundi*: quod etsi de lumine spirituali intelligatur; Deus tamen, lumen quoddam est, quod a nulla re quantumlibet densa, aut obscura excludi potest.

Ioa. 8. 12

9\. 9. Hæc subtilia sunt. Quid si in creaturis operan-

operantem sic nobis persuadeamus, vt omnia quæ sunt, & agunt, per ipsum & esse, & agere certò certius credamus? Sic enim D. Antonius cuidam philosopho, respondebat. *Meus codex ô Philosophe natura creaturarum est, & adest cum voluero, verbaq; Dei relego.* Ita persuasum habebat Regius propheta. *Ignis*, inquit, *grando nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.*

Deus operatur in creaturis *Tripart. Hist. lib. 8. ca. 1.* *Psa. 148. 8.*

10. Qui vero considerationi passionis Dominicæ addicti sunt, atq; adeo ea delectantur, vt immersi videantur, ij summa facilitate dum orationi vacant, in Deum elevantur: eius rei testis est Bernardus locupletissimus, cuius animo perpetuo obversabantur dolores Salvatoris sui. *Et ego*, inquit, *fratres, ab ineunte conversatione, pro acervo meritorum, quæ mihi deesse cognoscebam, hunc mihi fasciculum colligere, & inter vbera collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei.*

10. *Passionis dominica memoria.* *Super. 1. Cant. Serm. 43*

11. Verùm quid opus, Deum tam remotis a nobis spatijs quærere, cum regnum Dei intra nos sit? *Vir bonus* (ait Seneca,) *sine Deo nemo est*. *Nescitis*, inquit Paulus, *quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Denique ipsa Dei sapientia, ita loquitur. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.*

11. *Epist. 41 ad Lucilium.* *1. Cor. 3 v. 16.* *Ioan. 14. 23.*

Ergo loqui ipsi nobis licet intra nos: nam & anima sibi ipsi cum vult, loquitur. Quidni & alij intimè præsenti? Sicut corpus ore verbum efformat; ita & animus, mente verbum producit. Deus vero qui vbiq; est, & illic est, & verbum est; scit quid loquaris & loquitur tibi, alioquin nec vbiq; esset, nec
Psal. 90. 15. loqui posset. Verum ait ipse. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Quid sibi
Apoc. 3. vult quod Ioannes ait? *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Loquitur ergo verbum Dei nobis: & si ei ostium aperiamus, elingues enimvero nos erimus: & tam excellens cœna sine sermocinatione peragetur:

Interna verbi cū mente locutio.

12\. *Deus videndus in ijs qui præsunt.*

12\. Demus & his qui internæ conversationi addicti sunt & modos aliquos cum Deo loquendi, agendiq; frequentiùs, Id fiet, si Deum in superioribus agnoscamus: pares item & inferiores tanquam Dei filios reputemus, Catharina Senensis cælum quoddam in terra componebat. Deum in parentibus venerabatur: angelos in fratribus sororibusq; complectebatur, eis intimo affectu obsequebatur. Ita nos hortantur aposto-
Ephe. 6. 5. toli; *Obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes;*

Raimundus in eius vita.

tes; sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes; sicut domino, & non hominibus. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis. 1. Pet. 2. 17.

13. Pari ratione, in rebus conditis non tam res ipsas agere, quam Deum ipsum, is qui concipit haud a scopo aberrabit. Si te ignis calefaciat, si cibus reficiat, si odore perfunderis, si veste indueris, si domo tegeris, si lumine recrearis, si molli lecto reciperis, si ex harmonia solatium recipis, crede hæc non ab igne, cibo, odore, veste, domo, lumine; lecto, festoq; sono procedere (quæ omnia nec stare, nec effectum vllum producere possunt sine eo, à quo sunt, conservantur, & agunt) sed longè magis ab eo, *qui dat omnia affluenter, & à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.* Id agnosce, lauda, prædica eum, qui hæc tam liberali, profusaq; tibi manu elargitur.

13. *Deus quomodo per se, omnia bona nobis largiatur.*

Iac. 1. 17

14. Iuvat orantem mirum in modum, sibi certò persuadere, Deum non tantum in nobis existere & agere: verùm etiam nos in ipso esse, moveri, ac vivere. *Non essem* ait S. Augustinus, *Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me. An potius non essem, nisi essem in te, ex quo omnia, per quem omnia in quo omnia.*

14. *In Deo nos esse.*

1. *Per eius essentiam.*

omnia. Hunc modũ pulcherrima ſimilitudi-
Aut. l. 7. conf. c. 5. ne expreſſit idem S. Auguſtinus. *Tanquam*, ait, *ſi mare eſſet vbiq;, & vndiq; per immenſa*
Simile accõmodum. *ſpatia infinitum ſolum mare, & haberet intra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam tamen; plena eſſet ſpongia illa ex omni ſua parte, ex immenſo mari; ſic creaturam tuam te infinito plenam putabam & dicebam.* Vtinam & nos, & putare, & dicere, contingeret: Quis enim ſolatio ſummo non perfunditur, qui ſe intra Deum eſſe, & tanquam exiguam ſpongiam in oceano infinito, repleri, circumfluere, immergiq; bonis omnibus agnoſcit?

2. *Per gratiam.* 15. At ſpongia vitã non habet, ex ſe omnino immobilis. Fiamus boni piſces, & in gurgite tam vaſto natemus. In hoc natant quicumq; in Chriſto Ieſu baptizãtur. Hic ſordes omnes abluuntur. Extra hunc fluvium vivere, qui volunt, mori neceſſe eſt. Reſpiratio quæ non ex fonte gratiæ Saluatoris trahitur, noxia eſt, ac peſtilens, Chriſto autore qui ait. *Si quis in me non manſerit mittetur foras, & areſcet, & in ignem mittent, & ardet. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Natat quoq; qui proficit in dies ac progreditur de virtute in virtutẽ. Natat qui in vaſtis illis fluminibus opera Dei meditatur. Natat qui ac gratia viſitationibus divinis fretus, per creaturas mentẽ deducit, nunc cæleſtia

Natare quid? Qui piſces? Reſpiratio. Ioan. 15. 6.

ie&tia rimatur; nunc transeuntium rerum breuitatem, instabilitatemq; considerat. Nunc Christi hominis dolores, perfectionesq; contemplatur; nunc ad eius diuinitatem, potentiam, sapientiam, bonitatemq; assurgit.

16. Verùm pisces hi, seu contemplantes qui terras & aquas huius mundi decurrunt non rarò lutulentos pedes referunt, longeq; ardentiùs more auium aerem puriorem expetunt. Fiamus & nos auiculæ in purissimis solis radijs suspensi, a terrenis omnibus maximè semoti: oculos in solem iustitiæ conijcientes. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam*; & sicut aquila irreflexo obtutu solē aspiciam? *Mihi adhærere tibi, bonum est, ponere in te Deo meo, spem meam.* *Psal. 72. 28.*

17. Consideremus in cælis fontem fore, ex quo fluvij ingentes, in quibus beati omnes natabunt, & absorbebuntur ab vbertate domus illius. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est*. Heu, *quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* Illic enim est *fons vitæ*; & *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei et voluptatis torrētes*, copiosissimè qui illic sunt hauriūt. *4. Per Dei visionem* *Psa. 119 5.* *Psal. 41. 3.* *Psal. 35. 10.*

18. Verùm de oratione, quam hic viatores fundimus acturi, ne ad laudes beatorum prorumpamus. Imitemur nautas, qui dum à terra in altum promoueri cupiunt, quo fortiùs terram conto trudunt, eo longiùs ab *Psal. 45. 5.* *Simile, 1.*

ea

ea recedunt. Ita & nos calcemus terrena omnia; omnia arbitremur vt ſtercora, & Chriſtum lucrifaciemus, eiq; viciniores erimus, altiori flumine, gratiaq; ampliori natabimus.

19. Nitamur Chriſtum conſequi; cogitatione & affectu eum quęramus, haud dubiè ipſum ad nos pertrahemus. Qui funem in altera ripa ſuffixum trahit manu, illum non attrahit, ſed ripam aſſequitur. Et qui Deum cogitat, Deum quęrit, Deum non attrahit, ſed ad Deum trahitur, ac promovetur. Sic ſponſa in canticis. *Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Trahit nos Dominus cum media quibus nos trahat adhibemus, conatumq; ad illum aſſequendum admovemus. Dicit ergo tibi Dominus aſcende ad me: Aſcende, inquam, & ipſum invenies, & cum eo tibi bene erit.

Cant. 1. 3.

SECTIO SECVNDA.

De præparatione ad orationem.

1. OPeroſum pleriſq; videtur à ſeſe auelli, ad Deum conſcendere, ac præſentem compellare. Id omnino certum atq; exploratum eſt; mirum tamen eſſe non debet, cum ob actionis ſublimitatem, noſtrãq; infirmitatem; tum quod haud rarò impa-

rati

rati ad orationem prosilimus, nullamque animi præparationem adhibemus. Magna res est quam molimur; & quam stultũ putare, exilia quædã perfici non posse sine magnis dispositionibus; orationem verò coram tanta Maiestate pro dignitate posse pronuntiari adhibita præparatiõe aut nulla, aut certè exigua. Quis orator audiat coram Cæsare perorare, non præcogitato expolitoque argumento? Quis ædificare sumptibus non computatis, qui necessarij sunt? Quis bellum gerere sine apparatu bellico? Quis civitatem expugnare sine machinis, alijsq; opportunis subsidijs? *Præparationis ad orationẽ necessitas.* *Similia.*
Oratorem perfectum quærimus, qui coram suprema Maiestate dicat apposite. 1. Architectum, qui sibi in cælis æternam domum 2. ædificet. 3. Ducem, qui hic hostem prosternat 4. & sempiterni Regis gloriam amplificet, qui mundum expugnet, cælumq; vi rapiat violentus. Hæc omnia divino subsidio perficiuntur; atqui subsidia huiusmodi oratione consequimur. At sine arte? sine cura? sine præparatione? Monet nos sapiens. *Filij, accedens ad servitutem Dei, sta in Iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* *Eccl. 2.* Tentaret Deum orator, qui coram Rege dicturus, speraret dicendo, & rerum copiam, & sermonis eloquentiam sibi non defuturam, licet

ignavo

ignavo parũq; exercitato. Quare ne suffundamur rubore, & muti oratores & inepti mendicantes appareamus, cum ad orationem accedimus, cogitare necesse est quemnam accedamus, quid velimus, quid postulemus, & qua ratione libellum nostrum porrigamus. Hinc optimè sibi consulunt, qui dum meditationi se accingunt, materiã subiectam præcipiunt, eamq; copiosam, ne in tanto conuiuio panem sibi deesse sentiat: alioquin exponimus nos tentationi, & multis dæmonum molestijs qui cum, paratis negotij plus satis facessant, tum maxime desidebus, & minimè dispositis illudunt.

Dispositionum aliæ remotæ. 2. Dispositiones verò variæ sunt. Remotiores aliæ, aliæ propinquiores. Dispositus non est ad orandum qui peccandi retinet voluntatem, huius oratio execrabilis est coram
1. Deo: similisq; ei, qui in præsentia parentis filium immolat. Quid vero acerbius quam coram parente, filium discerpere, trucidare, mactare? Filium Dei iterum crucifigere arguitur, qui nequiter agit, & in voluntate peruersa remanet. *Iniquitatem* (ait sanctus Rex) *Si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* Isidorus eleganter; *Duobus modis* ait, *oratio impeditur ne impetrare quisquam valeat postulata. Hoc est; Si aut quisq; adhuc mala committit: aut si delinquenti sibi debita non dimittit.*

Psal. 65. 18.
Ioan. 9. 31.
lib. 3. de summo bono. cap. 1.

3. Alij

3. Alij sunt peccatores qui peccarunt, & crimen nondum displicuit. Accedunt ad orationem, non placata Domini facie; hi in se ipsos penetrent, *aspicient in corde suo iniquitatē*. Eam tollant concepto singulari dolore de admissa culpa; reconcilientur irato Iudici; alioqui *non exaudiet Dominus*.

4. Quem nondum ita perfectè peccati pænitet, vt in gratiam cum Deo redierit, is excludi nō debet ab oratione. Requirit tamē B. Thomas in eo conditiones quatuor, nempe, vt pro se non pro alijs supplicet. Qui sibi nequam cui bonus? qui vix sibi prodesse potest, quomodo alijs proderit? Qui inimicus est, ingerere se non debet aliorum causa, intercessurus. Abunde ei erit, si ad solicitationē reconciliationis admittatur. Altera conditio est, vt non quælibet petat, sed quæ ad salutem conducunt, vt sunt odium peccati, fugaque occasionum eiusdem; fidei, spei, timorisq; divini incrementum, & amoris Dei acquisitio: deniq; gratia reconciliationis cum perseverantia. Pie insuper ac humiliter petat necesse est cum motu Spiritus Sancti, aut certè ex habitu fidei, spei, & dilectionis Dei, quāvis adhuc imperfectæ. Deniq; perseverātia in oratione necessaria est: non enim tā citò magni principes culpas præsertim ex malitia conceptas condonant, rogari volunt identidem, vt pluris condonatio æstimetur.

2.2.q.83 art.16.

Orationes peccatoris conditiones quatuor requirunt.

1.

5. Magno

5. Magno quoq; impedimẽto est incuria vitãdarũ culparũ venialiũ, hę enim caritatẽ, quę orationis fervẽtis incentivum est, debilitant; animũ ad terrenas cupiditates inclinãt; mẽtẽ distrahũt in varia desideria, pietatis suavitatẽ exacerbant; deniq; dapellas, quas amici

De Templo Salomonis. Dei in interna degustãt cõversatione, reddũt insipidas. Hinc V. Beda, *multum* (ait) *iuvat orationis puritatem, si in omni loco, vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis, si semper ab ociosis sermonibus auditum pariter castigemus, & linguam. Quacumq; enim sæpius agere, & loqui, vel audire, solemus, eadem necesse est sæpius ad animum, quasi solitam propriamq; recurrant ad sedem. Et sicut sues volutabra, sive palustria; columbæ limpida solent frequentare fluenta: Ita cogitationes puram mentem immundæ perturbant, castam spirituales sanctificant.* Hæc Beda, quæ sancti viri doctrina si nobis cordi foret, purior ac vegetior oratio nostra evaderet.

Collatio 9. cap. 3. 6. Cassianus inter remotas dispositiones, animi perturbationum seu passionum refrenationem; extinctionemq; reponit. Hæ nãq; voluntatis sedem invadunt atq; occupant, omnino aliò cogitationes, avocant, & cum amorem sui in animo defixerint, tyrãnidem exercent eaq; ingenerãt desideria, quę mergunt homines in interitum.

Libri 5. moral. 7. Divus Gregorius curas, solicitudines, desideria rerum inanium, occupationes iudi-

cas

iudicat esse seponenda. Interpellant enim hęc sæpe orantes, loquuntur nobiscum, varias rationes rerum agendarum suggerunt, & non rarò momenta quędam ac conceptus mentis oculis adeò efficaciter obtrudunt, vt ea ne magno quidem studio cogitabundi invenire possemus. Comminuunt hæ solicitudines omne robur pietatis, euacuant deuotionis sensum, cassamq; atq; oppressam orationem relinquunt.

8. Requirit idem Sanctus Pontifex solitudinē. Hęc enim plurimùm conducit attentioni comparandę. Ea verò duplex est: corporalis alia; alia mentis. Corporalis plurimùm orationis negotium promouet. Hinc SS. Patres nocturnum tempus semper impensè commendarunt. Et sanè Bernardus. *Locum, ait, & tempus obseruare oportet eum, qui sibi orare voluerit; tempus feriatum commodius, aptiusque, maximè autem cum profundum nocturnus sopor inducit silentium; tunc planè liberior exit, puriorq; oratio. Quàm secreta de nocte ascendit oratio, sola arbitro Deo, sanctoq; Angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam! quàm grata & lucida, verecunda, colorata rubore! quàm serena & placida nullo interturbata clamore, vel strepitu! quàm deniq; munda, & sincera, nullo respersa puluere terrenæ solicitudinis, nulla aspicientis laude, seu adulatione tentata!* Hęc Bernardus. Omnino conformiter consilio Saluatoris. *Cum autem*

Solitudo duplex. 1. *Corporalis.* *Ser. super cant. 86.*

oraueris intra cubiculum, & clauso ostio, ora patrē tuum in abscondito, & qui videt in abscondito reddet tibi.

2. Mentalis. 9. Secessus hic opportunus est orantibus. Parum tamen proderit (eodem Gregorio auctore) si loci, non hominis solitudo sit, solus enim non est qui mente multis colloquitur; qui infinitarum rerum species versat animo, qui ingentes negociorum moles pertractat. hic solus est, qui soli præsens est Numini; *Ex omnibus. Lib. 30. moral. c. 12.* qui ab animo omnes creaturas exclusit; Deo seq; excepto, videt neminem. Vnum Deū instar omnium habens, cætera obliuiscitur. Quid prodest (ait idem Beatus Pontifex) solitudo corporis, si defuerit cordis? negotiū 2 *Propinqualia.* in oratione cum vno Deo nobis est; quæ præter ipsum adiunt orantibus, oneri sunt & impedimento.

In scala claus. seu de modo orandi. 10. Veniamus ad dispositiones propinquiores, quæ sensim formam ipsam pariant, & inducant. B. Bernardus gradus quatuor constituit, lectionem, meditationem, orationem, *Gradus 4* contemplationem, *Lectio est sedula scripturarum cum animi intensione, inspectio.* 1 *Lectio quid?* *Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam, ductu propriæ rationis inuestigans. Oratio est deuota cordis intensio in Deum pro malis amouendis, &* 2 *Meditatio quid?* *bonis adipiscendis, Contemplatio est mentis in Deum suspensa eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia* 3 *degustans. Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio*

meditatio inuenit, oratio postulat; contemplatio degustat. Lectio quasi solidum cibum ori apponit: meditatio masticat ac frangit, oratio saporem acquirit: Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ iucundat, & reficit. Lectio in cortice; meditatio in adipe; Oratio in desiderij postulatione; Contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione. Ponamus exemplum. In lectione, audio Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ecce breue verbum, sed suaue & multiplici sensu refertum. Ad pastum animæ quasi vuam ministrauit, quam postquam anima diligenter inspexit, dicit intra se, potest aliquid boni esse! Pretiosa, & desiderabilis est res ista, cum possessores beati dicuntur, quibus visio Dei (quæ est vita æterna) promittitur. Hoc ergo sibi plenius explicari desiderans incipit hanc vuam masticare, eamq́ue quasi in torculari ponit. Deinde excitat rationem ad inquirendum quid sit, & quomodo haberi possit. Hac adeo pretiosa & desiderabilis mũditia, quam vt obtineat, à Deo postulat, & dum obtinet, tandem ea in anima perfruitur.

Oratio quid?

4 Contemplatio quid? Eorum efficia.

Mat. 5. 8

Ex his possumus colligere quod lectio, sine meditatione arida est. Meditatio sine lectione erronea; oratio sine meditatione tepida: meditatio sine oratione infructuosa. Oratio cum deuotione contemplationis acquisitiua. Contemplationis adeptio sine oratione aut rara, aut miraculosa. Hæc ferè Bernardus; cuius sententiæ summa est, vt mens tota orantis in actum reducatur, atque imprimis intellectus, vel diuino motu adue-

omnia. Hunc modũ pulcherrima similitudine expressit idem S. Augustinus. *Tanquam*, ait, *si mare esset vbiq;, & vndiq; per immensa spatia infinitum solum mare, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen; plena esset spongia illa ex omni sua parte, ex immenso mari; sic creaturam tuam te infinito plenam putabam & dicebam*. Vtinam & nos, & putare, & dicere, contingeret: Quis enim solatio summo non perfunditur, qui se intra Deum esse, & tanquam exiguam spongiam in oceano infinito, repleri, circumfluere, immergiq; bonis omnibus agnoscit?

Aut. l. 7. conf. c. 5.

Simile accõmodum.

2. 15. At spongia vitã non habet, ex se omnino immobilis. Fiamus boni pisces, & in gurgite tam vasto natemus. In hoc natant quicumq; in Christo Iesu baptizãtur. Hic sordes omnes abluuntur. Extra hunc fluvium vivere, qui volunt, mori necesse est. Respiratio quæ non ex fonte gratiæ Saluatoris trahitur, noxia est, ac pestilens, Christo autore qui ait. *Si quis in me non manserit mittetur foras, & arescet, & in ignem mittent, & ardet. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Natat quoq; qui proficit in dies ac progreditur de virtute in virtutẽ. Natat qui in vastis illis fluminibus opera Dei meditatur. Natat qui ac gratia visitationibus divinis fretus, per creaturas mentẽ deducit, nunc cælestia

Per gratiam.

Natare quid?

Qui pisces?

Respiratio.

Ioan. 15. 6.

e'tia rimatur; nunc transeuntium rerum
)reuitatem, instabilitatemq; considerat.
Nunc Christi hominis dolores, perfectio-
nesq; contemplatur; nunc ad eius diuinita-
em, potentiam, sapientiam, bonitatemq;
i surgit.

16. Verùm pisces hi, seu contemplantes qui terras & aquas huius mundi decurrunt non raro lutulentos pedes referunt, longeq; ardentiùs more auium aerem puriorem expetunt. Fiamus & nos auiculæ in purissimis solis radijs suspensi, a terrenis omnibus maximè semoti: oculos in solem iustitiæ conijcientes. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam*; & sicut aquila irreflexo obtutu solē aspiciam? *Mihi adhærere tibi, bonum est, ponere in te Deo meo, spem meam.* — 1. *Psal.* 72. 28.

17. Consideremus in cælis fontem fore, ex quo fluvij ingentes, in quibus beati omnes natabunt, & absorbebuntur ab vbertate domus illius. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est*. Heu, *quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* Illic enim est *fons vitæ*; & *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei et voluptatis torrētes*, copiosissimè qui illic sunt hauriūt. — 4. *Per Dei visionem*. *Psa.* 119. 5. *Psal.* 41. 3. *Psal.* 35. 10. *Psal.* 45. 5.

18. Verùm de oratione, quam hic viatores fundimus acturi, ne ad laudes beatorum prorumpamus. Imitemur nautas, qui dum à terra in altum promoueri cupiunt, quo fortiùs terram conto trudunt, eo longiùs ab — *Similes* 1.

ea

ea recedunt. Ita & nos calcemus terrena omnia; omnia arbitremur vt stercora, & Christum lucrifaciemus, eiq; viciniores erimus, altiori flumine, gratiaq; ampliori natabimus.

19. Nitamur Christum consequi; cogitatione & affectu eum queramus, haud dubiè ipsum ad nos pertrahemus. Qui funem in altera ripa suffixum trahit manu, illum non attrahit, sed ripam assequitur. Et qui Deum cogitat, Deum querit, Deum non attrahit, sed ad Deum trahitur, ac promovetur. Sic sponsa in canticis. *Trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Trahit nos Dominus cum media quibus nos trahat adhibemus, conatumq; ad illum assequendum admovemus. Dicit ergo tibi Dominus ascende ad me: Ascende, inquam, & ipsum invenies, & cum eo tibi bene erit.

Cant. 1. 3.

SECTIO SECVNDA.

De præparatione ad orationem.

1. OPerosum plerisq; videtur à sese auelli, ad Deum conscendere, ac præsentem compellare. Id omnino certum atq; exploratum est; mirum tamen esse non debet, cum ob actionis sublimitatem, nostraq; infirmitatem; tum quod haud rarò imparati

| orationem prosilimus, nullamque præparationem adhibemus. Magna quam molimur; & quam stultū puta- lia quædā perfici non posse sine magnis itionibus; orationem verò coram tanta tate pro dignitate posse pronuntiari ad- præparatiōe aut nulla, aut certè exigua. orator audiat coram Cæsare perorare, præcogitato expolitoque argumento? ædificare sumptibus non computatis, cessarij sunt? Quis bellum gerere sine atu bellico? Quis civitatem expugna- e machinis, alijsq; opportunis subsidijs? orem perfectum quærimus, qui coram ma Maiestate dicat apposite. Archi- m, qui sibi in cælis æternam domum et. Ducem, qui hic hostem prosternat npiterni Regis gloriam amplificet, qui lum expugnet, cælumq; vi rapiat vio- s. Hæc omnia divino subsidio perfici- ; atqui subsidia huiusmodi oratione quimur. At sine arte? sine cura? sine ratione? Monet nos sapiens. *Filij, ns ad servitutem Dei, sta in Iustitia, & ti- & præpara animam tuam ad tentationem. e orationem præpara animam tuam, & noli uasi homo qui tentat Deum.* Tentaret n orator, qui coram Rege dicturus, spe- dicendo, & rerum copiam, & sermo- oquentiam sibi non defuturam, licet ignavo

Præparationis ad orationē necessitas.

Similia.

1.

2.

3.

4.

Eccl. 2.

ignavo parũq; exercitato. Quare ne suffundamur rubore, & muti oratores & inepti mendicantes appareamus, cum ad orationem accedimus, cogitare necesse est quemnam accedamus, quid velimus, quid postulemus, & qua ratione libellum nostrum porrigamus. Hinc optimè sibi consulunt, qui dum meditationi se accingunt, materiã subiectam præcipiunt, eamq; copiosam, ne in tanto convivio panem sibi deesse sentiat: alioquin exponimus nos tentationi, & multis dæmonum molestijs qui cum, paratis negotij plus satis facessant, tum maxime desidebus, & minimè dispositis illudunt.

Dispositionum aliæ remotæ. 1.

2. Dispositiones verò variæ sunt. Remotiores aliæ, aliæ propinquiores. Dispositus non est ad orandum qui peccandi retinet voluntatem, huius oratio execrabilis est coram Deo: similisq; ei, qui in præsentia parentis filium immolat. Quid vero acerbius quam coram parente, filium discerpere, trucidare, mactare? Filium Dei iterum crucifigere arguitur, qui nequiter agit, & in voluntate peruersa remanet. *Iniquitatem* (ait sanctus Rex) *Si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* Isidorus eleganter; *Duobus modis* ait, *oratio impeditur ne impetrare quisquam valeat postulata. Hoc est; Si aut quisq; adhuc mala committit: aut si delinquenti sibi debita non dimittit.*

Psal. 65. 18.
Ioan. 9. 31.
lib. 3. de summo bono. cap. 1.

3. Alij

3. Alij sunt peccatores qui peccarunt, & crimen nondum displicuit. Accedunt ad orationem, non placata Domini facie; hi in se ipsos penetrent, *aspicient in corde suo iniquitatem.* Eam tollant concepto singulari dolore de admissa culpa; reconcilientur irato Iudici; alioqui *non exaudiet Dominus.*

4. Quem nondum ita perfectè peccati pænitet, vt in gratiam cum Deo redierit, is excludi nō debet ab oratione. Requirit tamē B. Thomas in eo conditiones quatuor, nempe, vt pro se non pro alijs supplicet. Qui sibi nequam cui bonus? qui vix sibi prodesse potest, quomodo alijs proderit? Qui inimicus est, ingerere se non debet aliorum causa, intercessurus. Abunde ei erit, si ad solicitationē reconciliationis admittatur. Altera conditio est, vt non quælibet petat, sed quæ ad salutem conducunt, vt sunt odium peccati, fugaque occasionum eiusdem; fidei, spei, timorisq; divini incrementum, & amoris Dei acquisitio: deniq; gratia reconciliationis cum perseverantia. Pie insuper ac humiliter petat necesse est cum motu Spiritus Sancti, aut certè ex habitu fidei, spei, & dilectionis Dei, quāvis adhuc imperfectæ. Deniq; perseverātia in oratione necessaria est: non enim tā citò magni principes culpas præsertim ex malitia conceptas condonant, rogari volunt identidem, vt pluris condonatio æstimetur.

2.2.q.83 art.16.

Orationes peccatoris conditiones quatuor requirunt.

1.

5. Magno

5. Magno quoq; impedimẽto est incuria vitãdarũ culparũ venialiũ, hę enim caritatẽ, quę orationis fervẽtis incentivum est, debilitant; animũ ad terrenas cupiditates inclinãt; mẽtẽ distrahũt in varia desideria, pietatis suavitatẽ exacerbant; deniq; dapellas, quas amici Dei in interna degustãt cõversatione, reddũt insipidas. Hinc V. Beda, *multum* (ait) *iuvat orationis puritatem, si in omni loco, vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis, si semper ab ociosis sermonibus auditum pariter castigemus, & linguam. Quacumq; enim sæpius agere, & loqui, vel audire, solemus, eadem necesse est sæpius ad animum, quasi solitam propriamq; recurrant ad sedem. Et sicut sues volutabra, sive palustria; columbæ limpida solent frequentare fluenta: Ita cogitationes puram mentem immundæ perturbant, castam spirituales sanctificant.* Hæc Beda, quæ sancti viri doctrina si nobis cordi foret, purior ac vegetior oratio nostra evaderet.

De Templo Salomonis.

6. Cassianus inter remotas dispositiones, animi perturbationum seu passionum refrenationem; extinctionemq; reponit. Hæ nãq; voluntatis sedem invadunt atq; occupant, omnino aliò cogitationes, avocant, & cum amorem sui in animo defixerint, tyrãnidem exercent eaq; ingenerãt desideria, quę mergunt homines in interitum.

Collatio 9. cap. 3.

7. Divus Gregorius curas, solicitudines, desideria rerum inanium, occupationes iudi-

Libri 5. moral.

dicat esse seponenda. Interpellant enim
ec sæpe orantes, loquuntur nobiscum, va-
as rationes rerum agendarum suggerunt,
: non rarò momenta quędam ac conceptus
nentis oculis adeò efficaciter obtrudunt, vt
a ne magno quidem studio cogitabundi in-
enire possemus. Comminuunt hæ solicitu-
ines omne robur pietatis, euacuant deuoti-
nis sensum, cassamq; atq; oppressam orati-
nem relinquunt.

. Requirit idem Sanctus Pontifex solitudi- *Solitudo*
ĕ. Hęc enim plurimùm conducit attentioni *duplex.*
omparandę. Ea verò duplex est: corpora- 1.
is alia; alia mentis. Corporalis plurimùm *Corpora-*
rationis negotium promouet. Hinc SS. Pa- *lis.*
res nocturnum tempus semper impensè *Ser. su-*
ommendarunt. Et sanè Bernardus. *Locum,* *per cant.*
ait, & tempus obseruare oportet eum, qui sibi orare 86.
voluerit; tempus feriatum commodius, aptiusque,
maximè autem cum profundum nocturnus sopor in-
ducit silentium; tunc planè liberior exit, puriorq;
oratio. Quàm secreta de nocte ascendit oratio, solo
arbitro Deo, sanctoq; Angelo, qui illam superno al-
tari suscipit præsentandam! quàm grata & lucida,
verecunda, colorata rubore! quàm serena & placida
nullo interturbata clamore, vel strepitu! quàm de-
niq; munda, & sincera, nullo respersa puluere ter-
renæ solicitudinis, nulla aspicientis laude, seu adu-
latione tentata! Hęc Bernardus. Omnino
conformiter consilio Saluatoris. *Cum autem*

 oraueris

meditatio inuenit, oratio postulat; contemplatio degustat. Lectio quasi solidum cibum ori apponit: meditatio masticat ac frangit, oratio saporem acquirit: Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ iucundat, & reficit. Lectio in cortice, meditatio in adipe; Oratio in desiderij postulatione; Contemplatio in adeptæ dulcedinis delectatione. Ponamus exemplum. In lectione, audio Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ecce breue verbum, sed suaue & multiplici sensu refertum. Ad pastum animæ quasi vuam ministrauit, quam postquam anima diligenter inspexit, dicit intra se, potest aliquid boni esse! Pretiosa, & desiderabilis est res ista, cum possessores beati dicuntur, quibus visio Dei (quæ est vita æterna) promittitur. Hoc ergo sibi plenius explicari desiderans incipit hanc vuam masticare, eamq; quasi in torculari ponit. Deinde excitat rationem ad inquirendum quid sit, & quomodo haberi possit. Hæc adeo pretiosa & desiderabilis mũditia, quam vt obtineat, à Deo postulat, & dum obtinet, tandem ea in anima perfruitur.

Oratio quid? 4 Contemplatio quid? Eorum effecta. Mat. 5. 8

Ex his possumus colligere quod lectio, sine meditatione arida est. Meditatio sine lectione erronea: oratio sine meditatione tepida: meditatio sine oratione infructuosa. Oratio cum deuotione contemplationis acquisitiua. Contemplationis adeptio sine oratione aut rara, aut miraculosa. Hæc ferè Bernardus; cuius sententiæ summa est, vt mens tota orantis in actum reducatur, atq; imprimis intellectus, vel diuino motu adue-

niente, vel propria excitatione, luce quadã cælesti illustretur: inardescat deinde animus & rei præsentis concepta pulchritudine, ac desiderio in Deum rapiatur, cum eo colloquatur, optata postulet ac reportet: deniq; consolatione perfusus, atq; imbutus interno gaudio remaneat. Quod partim per lectionem, partim per commentationem rerum diuinarum assequimur. Vltima ergo orationis dispositio est, actualis vt vocant deuotio, seu animi in Deum elevatio ope cælesti subnixi. De meditatione, oratione, ac contemplatione postea dicturi sumus.

Deuotio actualis quid?

TEXTVS TERTIVS

In Montem.

Orationis dignitas & excellentia explicatur.

Cur Oratio mons esse dicatur.

Hic orationis excellentia, dignitasq; exprimitur. Monsq; ipsa oratio dicitur, quod quicquid in oratione est, in sublime elevatũ esse oporteat. Deus inprimis ad quẽ
1. oratio dirigitur, in cælis habitat. *Cælum cæli*
Psal. 113. 26. *Domino; terram autem dedit filijs hominum.* Docuit & nos sic orare: *Pater noster qui es in cælis.*
Matth. 6. Orantis quoq; animum ibi esse decet, vbi is
2. est cui ipse loquitur, & à quo beneficium
3. postulat. Ergo & ipsam supplicationem in monte, locoq; sublimi esse convenit. Nisi ipsam

ipsam orationem montem esse dixerimus, quòd totum hominem subuehat, & coram supremo Domino constituat. In montis analogia dignitatem orationis consideremus. Mons quantò sublimior est, eò longiùs à vallibus terraq; homines disiungit. Oratio mortales à profundissimo peccatorum barathro, ab affectu rerum terrenarum, ab amore diuitiarum, ac voluptatum; à carnis amorisq; proprij illecebris, quæ mortales demergere solent, segregat. Qui etenim orat, nouo quodam spiritu, qui caducas res omnes fastidit, imbuitur: nullaq; efficacior ratio calcandi quicquid mundus admiratur, atq; amplectitur, quàm frequens in palatij cælestis cellam vinariam ingressus ac conuersatio. Accidit eum qui orationi, commentationiq; spirituali addictus est, totum esse in consideratione iudiciorum Dei, beneficiorum acceptorum, bonitatis, sapientiæ, omnipotentiæ, eiusdem; Quàm horribile sit incidere in eius manus; Quàm iucundum & eius amicitia frui; & protectione muniri. At hæc cum peccato & illecebris mundi commercium non habent. Quiq; ista considerat; illa prorsus ipsi desipient actutum, fastidiumq; ingenerabũt. Quis enim horrẽdas inferni barathri pęnas comprehendens, breuitatem, fallaciamq mundi considerans; æternæ beatæq; vitæ delicias degustans, ad peccatorum sordes, rerũ flux-

Analogia montis cum oratione & eius dignitas.

1. *Oratio hominem à terra subleuat.*

1.

2.

arum quisquilias reuerti volet? Cum longè excellentiores dapes in ipso orationis epulo proponantur.

2. analogia 1. in radijs.

2. In montis cacumine sol radios diffundit, nec ij vel ab ædificijs alijsve rebus quæ montibus subesse solent arceri possunt, aut etiam impediri quo minus mons incalescat, & ea generentur quæ naturâ loci enasci solent. In oratione, si vsquam, radij solares apparet, cælitus emissi, nec arceri possunt: *Qui enim habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Ecquando animus in adiutorio altissimi habitat atq; commoratur, si non orationis tempore? Hi radij sunt quibus facies Moysis inflammata est. Hos radios expressit Saluator cum in mõte Thabor oraret præsentibus Moyse, & Elia. His radijs B. Pauli oculi triduo post lapsum illuminati sũt, cum cæcus euasisset ex Christi corporis gloriosi, veri solis aspectu. Inflammantur certe homines Dei congressu: atq; adeo Apostoli, (qui præsentes interfuerunt orationi illi in monte Thabor) absorpti sunt. vt Petrus velut sui immemor in has voces erumperet. *Domine bonum est nos hic esse: Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum,* Generãtur enimvero hisce radijs solaribus solidissimę virtutes, cognitio ac scientia cælestium rerum, quæ adeo profundas radices agunt in animis nostris, vt & nobis

Psal. 90. 1.

Exod. 34 29.

Matth. 17.

2. In calore

Matth. 17. 4.

3. In generatione fructuũ.

nobilissimos

nobilissimos fructus, & aliis solatia producunt vberrima, vti statim dicturi sumus copiosius.

3. In montibus nascuntur fontes qui ad valles defluunt, & arentia queq; aspergunt, fertilitatemq; important. *Inter medium montiũ pertransibunt aquæ* : ait Propheta regius: & abundantes quidẽ instar torrentium & magnorum fluminum. Oratio lachrymarum fontes procreat, compunctionem cordis producit teste Ieremia: *Facta est velut mare contritio tua, quis medebitur ei ?* Oratio: Vberes gratię rivos, alendis virtutibus emittit; sublimes animos deprimit, & ad demisse de se sentiendum, & in infimis obsequendum inclinat. Arida sunt cętera virtutum opera, si hoc rivulorum fluxu atq; aspersione careat.

3. analogia.

Psal. 103. 10.

Thre. 2. 13

4. Qui in montibus degunt, viciniores sunt cælo. Qui in orationis monte versatur: Deũ, angelosq; sibi vicinos ac familiares reddit. Hinc Sanctus Ephrem Piissime, vt solet; *desidera*, ait, *orationem, familiare cum Deo colloquiũ. Omnis enim oratio Sancta et pura, cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfectè Deum desiderantium, magna cum lætitia, fiduciaq; multa, ipsum etiam cælum iugiter penetrat. In ipsa Angeli atq; Archangeli, & coram throno sancti & excelsi vniversorum Domini illum statuunt.*

4. analo. Serm. de Virgini.

4 *Oratio familiares nos reddit.*

5. Ex hoc alia exurgit orationis laus, quod vim habeat Deum expugnandi, atq; in sententiam

5. *Oratio Deum expugnat.*

tentiā suam pertrahendi. Voluit olim Deus populum suum perdere: Opposuit se Moyses, Deum vinxit, manusq; quodammodo, illum
Psal.105 ne perderet, obligauit. *Et dixit*, inquit Dauid
23. *vt disperderet eos. Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius*. Magna vis hominis dexteram omnipotentis, ne iratus hostem conterat, præpedientis. Eadem de causa Ieremiæ orare vetuit. *Tu ergo* ait Do-
Ierem.7. minus, *noli orare pro populo hoc, nec assumes pro*
16. *eis laudem, & orationem & non obsistas mihi*. In quę verba Hieronymus. *Quod autem dicit, & non resistas mihi; illud ostendit quod sanctorum preces ira Dei possint resistere. Vnde & Dominus lo-*
Exod. 32 *quitur ad Moysem, dimitte me*. Hæc Hierony-
10. mus. addit, epistola ad Gaudentium; *Quando dicit, dimitte me, ostendit se teneri posse, ne faciat quod minatus est. Dei enim potentiam serui preces impediebant*.

6. Exaudiri à Deo orantes.

6. Ex eodem fonte manat & hæc orationis cōmendatio; eos, qui Deo familiariter vtuntur, quæcumq; velint summa facilitate consequi; Deumq; paratiorem esse ad parendū voluntati nostræ, quàm nos ad ei dicto audiendum, atq; invocandum. Quid enim verba
Psa. 144 illa Davidis aliud indicant; voluntatem ti-
19. mentium se faciet, & deprecationem eorum
Matth.7 exaudiet, & salvos faciet eos? Quid & illud? *Petite & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis*. Quid facilius quam petere

petere, quęrere, pulsare? Horũ fructus certò adiunguntur. Dabitur vobis; invenietis; aperietur vobis. Per Isaiam idem nobis promittitur. *Eritq́, antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Audit Deus, & attendit nobis loquentibus; exaudit etiã necdum loquentes quidem: est enim Pater omnium, novitq́; quibus indigeamus. Videamus modo an harum promissionum stet fides. Sanctus Dominicus (vt beatus Antoninus auctor est) amico religioso confidenter manifestavit, se nihil vnquam à Dei benignitate postulasse, quod consecutus nõ fuerit. Cui ille. Fac ergo inquit Pater, vt Magister Conradus (hic doctor erat & eruditione & pietate apprimè celebris) ordinem tuum capessat. Placuit beato viro consilium; nocteq́; sequenti, fusa ad Dominum prece, effectum est, vt magnus ille magister Conradus, dum in officio divino manè hymnus canitur *Iam lucis orto sydere,* advolveretur pedibus Beati Dominici, obnixè habitum religionis postulans, obtinuit, totaq́; vita vocationis divinę veritatem insigni sanctitate comprobavit. Beata Scholastica soror S. Benedicti, cũ sermonem vesperi cum sancto fratre misceret de rebus spiritualibus, illumq́; tempus ad monasterium revertendi moneret, abiturientem sancta virgo brevi prece (vix enim palmis faciem texit) retinuit. Orta namq́; est

Isai. 65. 24.

In specu. Histori. parte. 2.

Probatur exemplis

1. *S. Dominici.*

2. *S. Scholastica.*

est tanta tempestas, vt pedē efferre nocte illa sancto viro non licuerit, orsumq; sermonē ad auroram vsq; produxerit. Quid hic magis mirere, virginis fiduciam, quæ tā breui tempore, adeoq; succincta oratione, sperare ausa est Dominum, cælos, & elementa moturu, vt id obsequij solatijq; petenti famulæ deferrent; an vero celeritatem, qua divina bonitas obsecuta est virgunculæ, nulla necessitate vrgente, sed vt illius tantum voluntati subveniret. Non imparem se præbuit

3. Catharina Senensis. Catharina Senensis erga Confessarium, qui inquietudine conscientiæ laborabat, dubius, an peccata sibi remissa forent. Promisit illa sea Domino petituram singularem cordis compunctionem. Petijt, obtinuit. Tamque admirandus dolor cordi eius insedit, vt ne disrumperetur, ille ipse timeret Cōfessarius.

4. Dorothea. Quid dicam de Dorothea virgine, quæ cum mortem preferret deorum venerationi, asserebat brevi fore, vt carperet rosas in horto sponsi sui. Theophilus executionis minister, prolata mortis sententia, illudens virgini cū inquit veneris in hortum sponsi tui, mitte mihi ex rosis, & fructibus, quos in illo asseris reperiri. Promisit se facturam; amputatoq; eius capite, Angelus in forma speciosissimi pueri, calathum rosis, & fructibus plenum Theophilo obtulit, dicens: Dorothea tibi mittit fructus ex horto sponsi sui decerptos.

Erat

Erat autem mensis Februarius. Stupefactus Theophilus, Christo nomen dedit, atq; in eius confessione gloriose mortem oppetijt. Quanta infinitæ illius Maiestatis promptitudo in obsequendo votis, & desiderijs eorum qui ad ipsam recurrunt.

7. Angelorum mentionem fecimus; Qui enim in oratione frequentes sunt, angelicam & conversationem imitantur, & consortio sæpe perfruuntur, deferunt enim hæ beatæ mentes in cælum orationes nostras, nosq; apud supremam Maiestatem, singulari studio commendant; quod Tobias expertus est, cui Angelus; Quando (ait) *orabas cum lachrimis, & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuũ & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Vidit*(Cornelius centurio orationi addictissimus) *Angelum Dei introeuntem ad se & dicentem sibi. Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Christo Domino in agonia constituto apparuit Angelus confortans eum.* Deniq; orante, sine intermissione Ecclesia pro Petro, astitit Angelus, qui eum è carcere liberum deduxit.

7. Angelorũ consortiũ orãtibus.

Tobiæ. 12. 12.

Act. 10. 3.4.

Luc. 22. 43.

Act. 12. 5.7.

8. In montibus crescit herba admodum opportuna alendis ovibus. Dicebat Sanctus Rex. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.* Hoc

8. Refectio spiritualis.

Psal. 22. 1.2.

enim

enim præstat oratio. Oratio varia prata, nobilissimaq; pascua proponit, quibus pia mens reficiatur; nunc divinis perfectionibus considerandis; (quales, sapientia, bonitas, infinita potentia, misericordia;) nunc Christi domini vitę commentatione. O quàm iucundum sapidissimas passionis eius virtutes carpere! Quàm dulce apostolorum labores zelumq; contemplari! martyrum constantiam, confessorum sanctitatem, virginum puritatē, internis velut dentibus ruminare! Quàm egregia prata meritò scripturæ sacræ reputantur! Quid vberius, quidve amœnius consideratione rerum à Deo conditarum? quid admirabilius, quàm in ijs auctorem ipsum operantem intueri, atq; ex eo cuncta profluere, iuxta ac consistere. Hæc in oratione, meditationeq; vti in fonte, dulcedo potatur, & velut sapidissimus cibus in precationum montibus, summa voluptate, masticatur.

9\. *Religiosos parit Ordines.* 9. In montibus crescunt vites, vuęq; apprimè maturescunt. Vnde quæso ordines religiosi, congregationes sanctitate, doctrinaq; florentes emerserunt, nisi ex frequenti cum Deo conversatione? Illic constitutiones, regulę, monita prę clara originem hauserunt. Et quicumque Ordines, congregationes, sodalitia singulari sanctitatis laude emicuerūt, iij omnes orationis, & cōmentationis studio, fructum omnem splendoremque acceptum referre

referre debent. Atq; in quibus pietatis sensus atq; orationis ardor deferbuit, iidem ipsi, paulatim decus omne suum, ac gloriam amiserunt.

10. In montium visceribus thesauri haud 10.
rarò absconditi reperiuntur; vt auri fodinæ, *Oratio*
argenti, ferri, aluminis, plumbi; aliorùmve *thesaurũ*
metallorũ venæ, quæ etsi inconditi mõtes ac *habet re-*
præfractæ rupes minùs præseferunt; tamen *conditũ.*
industria hominum factum est, vt imperia, regnaq; hisce creverint, & vires, roburq; acquisiverint. Quis putaret in orationis studio tantas opes reperiri? auri certè venæ sunt vberrimæ, & charitatis thesaurus incomparabilis invenitur, puritas mentis, integritas vitæ; Virginitatis, ac castimoniæ decor, omni argento nitidior ibi reconditur; constãtia ferro durior; humilitas plumbo vilior, sed ingentis ponderis, & valoris; obedientia quavis lamina flexibilior inde comparatur. Superat prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia, aliæque virtutes, omnia metallorũ genera, quæ ex abditis, subterraneisq; venis, hoc est, ex humili, & ab hominum oculis remota prece eruuntur, & omnes regnorũ opes. Hæc namque decorat virtutes omnes, quę & orationibus acquiruntur, & immensum accrescunt. Quantæ ergo opes in hac *Lib. de*
una laude continentur? Plura de eadem vir- *Orat.*
tute Gregorius Nicenus ita statuit. *Oratio,*
inquit,

inquit, *corporum robur est, abundatia domus, recta legum ac iuris in civitate constitutio, regni vires, belli trophoeum pacis securitas, dissidentium conciliatio, coniunctorum conservatio. Oratio virginitatis sigillum est matrimonij fides, viatoribus scutũ, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarũ fertilitas, navigantium salus, eiusdem cum Angelis honoris conditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio*. Hæc Nissenus, quæ verè attribuenda orationi veniunt; quod ipsa vim habeat hęc omnia, & impetrandi & conservandi.

10 *Orantiũ visitationes.* 11. In montes matutinus ros descendit copiosus. Mane orantibus visitationes cælestes, fluenta gratiarum lachrymarum rivi defluunt abundanter. *Qui mane*, ait, sapientia *vigilaverint ad me, invenient me.* (*Proverb. 8. 17.*) *Mane astabo tibi* (ait pientissimus Rex) *& videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* (*Psalmo. 5. 5.*) *Deniq; fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* (*Psal. 41. 4.*)

11 *Oratio sacrificia perficit.* 12. In montibus sacrificia offerre apud varias nationes solemne iam inde à mundi initio fuit. Iussus est Abraham in monte filium immolare. Elias in monte bovem ferit, ignisq; de cælo lapsus, eius sacrificium approbavit. Samaritani in monte offerebant. Deniq; & Christus Dominus sacrificium incruentum in monte Sion: cruentũ in monte calvariæ consummavit. *Hic est mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus. mons pinguis. In hoc omnibus* (*Psal. 67. 16. 17.*)

nibus populis fecit Dominus convivium pinguium; convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. In monte orationis sacrificia omnia celebrantur: nam vt omittam nullũ sacrificium sine oratione; sacramenta omnia cum oratione perfici; pręcipuam eorũ dispositionem oratione constare: oratio ipsa sacrificium est auctore Davide. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* Illa sacrificia omnia elevat ante thronum divinæ Maiestatis, & devotionis adipem: cõdimentorumq; voluptatem admiscet. Illa se, suaq; omnia in odorẽ suavitatis, supremo numini vovet, dicat & consecrat. Illa in igne ardentissimæ caritatis, vitia omnia absumit: carnẽ domat; desideria inordinata frenat; libidinem coercet, omnia opera, totumq; hominem in holocaustum incendit, & offert in odorem suavitatis. Non est hic opus ordines sacros quisquam suscipiat; omnes huius sacrificij sacerdotes sunt. *Vos genus electum* (ait Apostolus) *regale sacrificiũ, gens sancta, populus acquisitionis.* Sic omni loco & tempore, omni hominum generi, sacrificia summo Deo offerre integrum est. Hoc pręstat oratio, quę (si quid vsquam) in templis sané, primas obtinet: Ideo Dominus per Isaiam. *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.*

Isa. 25.6 *Psal. 140. 2.* *1. Pet. 2. 9.* *Isa. 56. 7*

13. Montes vt alti sunt, ita & procul se videndos

dendos exhibent. Qui orationi sæpe dant
Oratio operam, ad magnam sensim veniunt sancti-
alijs Edi- tatem: quæ, etsi quantùm ij possunt, occulte-
ficationē tur, se tamen suo fulgore prodit. Non enim
adfert. permittit dominus lucernas abscondi sub
Matth.5. modio, sed super candelabrum collocari, vt
15. luceat omnibus qui in domo sunt. Tales fuerunt divi Antonius, Benedictus, Gregorius, alijq; eminentes sanctitate viri, qui etsi latebras quærerent; dulcedine conversationis divinæ capti: eos tamen Dominus, vt civitates supra montem posuit, qui & ab omnibus viderentur, & suo sinu plurimos complecterentur.

4. In montibus crescunt abietes, ar-
Matth.5. bores sunt altissimæ, at etiam non cur-
14. væ, sed omnino rectę. *Populus in sylvis,*
Oratio *abies in montibus altus.* In oratione rectitudinē
rectitu- consequimur. Hic curvitas intentionis retor-
dinem et quetur, atq; in rectum protenditur. *Recti di-*
profectū *ligunt te,* ait sponsa in Canticis. Itaq; qui ora-
in spiritu tioni assuescit; Deum diligit, rectusq; sen-
procreat. sim efficitur. Assurgit etiam in summam al-
Can.1.3 titudinem, quia curvitas quæ in diversa prominebat, extenditur, & in longum obtinet, quod ineptè protrudebatur. Crescit certè in
Psal. 32. omni genere virtutū, qui cum Deo frequens
1. est: ipse Deus rectitudinis est regula; nec
Psal. 31. vult ab alijs amari, laudarivè, quam à rectis,
11. & prominentibus, id est proficientibus. *Exul-*

tate

ate iusti in Domino, rectos decet collaudatio. Et & tamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.

15. In montibus exercitus securior est, quã in valle: tũ quia videt, hostem nec ipse omni ex parte videri potest, eidem detrimentum inferre, cum ipse lædi facile non possit. Mons est oratio, qua dæmonum & adversariorum artes, doliq; deteguntur: & contra eorũ impetus munimur. Securus est, qui in hoc mõte consistit; ne descendat in domũ suam; *& qui in agro* (apertisq; huius mundi periculis versatur) *non revertatur quærere tunicam suam, sed fugiat ad montes.* Hanc enim securitatẽ Chrysostomus orationi tribuit. *Magna* ait, *arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, refugij locus.* *Mat. 24. 18.* *Chrysost. homil. in Gene. 30*

16. Me dies tempusq; deficiet, si laudes orationis prosequi velim. Illud vnũ mihi prætermittendum non est; nullũ honoris genus cum hoc conferri posse, quo suprema illa maiestas homunculos abiectissimos dignatur; vt nempe quilibet quandocumq;, vbicumq; voluerit accessum habeat; cum Deo colloqui; infirmitates, dolores, necessitates exponere; subsidium petere; opem, auxiliũ, consilium, consolationem reportare valeat. *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Ecquid sumus nos, vt *16. Orationis singulare privilegium.* *Deu. 4.7.*

coram tanto Domino appareamus? Nos vermiculi: ille Deus immensus. Nos pulvisculi; ille manu gestat orbem. Nos terra & lutum: ille lumen incõprehensibile. Nos nihil, ipse & est qui est, & quicquid est, ab eo auctore manat, & conservatur, & nobis facultatem illam indulget, vt accedamus, salutemus, colloquamur: & si non faciamus nobis, irascitur. Et cur nos nobis potius non irascimur, socordiam nostram, & ingratitudinem detestantes? Quid ergo tanta dignatione excellentius? quid nobilius? quid iucũdius? Et nos tædet, nobisq; admodum grave est, aut manè, aut aliquoties interdiu ipsum accedere. Quidni grave eius alloquio privari; ei non adesse; ab eo non refici? quæ mensa, quæ dapes, quę solatia cum hoc vel vno congressu conferenda? Solatia ignorant, qui hoc experti non sunt; cuius experientia abstergit solatiorum vanorum omnem appetentiam. Sed heu miser homuncio, cur te hoc solatio destituis! nempe, quia carere non vis emendicatis solatiolis huius sæculi, huius carnis, huius, & quidem brevissimi temporis. Experire alterum, & videbis fæces esse, venenum, amaritudinem, pęnam, dolorem, quicquid est, tanti honoris, ac tantæ glorię, voluptatisq; comparatione. Audiamus Chrysostomum elegantissimè de hoc argumẽto differentem: mę enim elinguem in re adeo ampla

lib. 1. de orando Deo.

ampla atq; ardua esse profiteor. *Quis non obstupescat*, ait, *& admiretur, tantam benevolentiam erga nos Dei, vt mortalibus tantum honoris largiatur vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraq; vota apud ipsum deferamus? Nam verè cum Deo fabulamur, quoties vacamus deprecationi; per quam simul & Angelis copulamur; & societatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorũ enim opus est deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem, si tamen maius est Angelorum dignitate, colloquium miscere cum Deo. Atqui; quod id sublimius sit, ipsi nos docent, multo quidem cum tremore, vota sua offerentes.* Hactenus Chrysost.

TEXTVS QVARTVS.

Et esto ibi.

1. Mandatur Moysi, vt montem conscendat, verbis expositis. *Ascende*, ait, Dominus, *in montem.* Haud dubiè, vt ibi aliquid, vel agat, vel audiat. Et ex consequẽti, non vt ascendat tantùm, & statim rursùm ad locum vnde ascendit, redeat: Quid enim prodesset ascendisse? Ecquis esset adeò stupidus, qui se mandato satisfecisse arbitraretur si conscenso monte, illicò recurreret. Nihilominùs, nequid integritati mandati desit addit Dominus, *& esto ibi.* Quàm necesse Moysi fuerit id inculcare, non disputo. Meo sane instituto, hæc pars ita necessaria est, vt si deesset prorsùs foret adijcienda. Mandatur

nobis orationis exercitiū. Huius mādati vix vnquam memores sumus: & si subinde pientissimi recordentur, & vtcumq; frequētes sint in hoc monte: retinendi sunt tamen, ne recurrant mente, ac cogitatione, nōnumquā etiam affectu, ad ea quæ deseruisse oporteret. Persæpe sanè non pauci citiùs pœne descendūt, quàm in orationis monte pedē fixerint. Idcirco additur: *& esto ibi,* Non enim est in monte, qui domi negotiatur, & ea pertractat animo, quæ ante ascensum exercebat. Quare de præcepto orationis, de attentione, & conditionibus eiusdem ante omnia nobis disserendum erit.

SECTIO PRIMA.

De præcepto atq; necessitate orandi.

1. Magnum Deus humanæ infirmitati beneficium præstitit, dum nōn tantúm virtutum actus, & præsidia ad salutem nostram & quærendam, & conservandam necessaria, verbo, scripto, exemplo nobis exposuit; sed etiam eadem severè mādavit, cū perdendæ suæ amicitiæ, pœnarumq; gravissimarū incurrendarū interminatione, si desimus officio præscripto nobis, in quo singularis eius bonitas elucet, quandoquidē & eius mandato respondere, & simul æternam

nam gloriam promereri, vna eademq; via liceat.

2. Oratio virtus est, eiusq; vtilitates, quã eminentes sint, & ex parte vidimus, & magis elucebit postmodùm. Verùm abhorremus à sententia Pelagij & hęreticorum qui orationem vtilem volunt, necessariam minimè. Cur necessariam? Primò quia præcepta est; quia sine ea vel iustitiam, vel salutem consequi nequimus.

3. Nemo fallatur, ratus rem arbitrariam esse orationem; ait enim Sapientia æterna. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Quid sibi vult dictio oportet? Certè importat orãdi & præceptum, & necessitatem. Nec tantùm voluit nos Dominus orare, sed etiam semper orare, nempe quantùm humana fragilitas patitur. *Sine intermissione orate. Hæc est enim voluntas Dei* ait Paulus Apostolus. Orate quotidie non intermittentes susceptum orationis studium, & quantùm fieri potest, vt exponit S. Chrysostomus. Hoc præceptum novũ non est, etiam antiquis est datum. *Subditus esto Domino* (ait David) *& ora eum.* Ecclesiasticus quoq; idem præceptum proponit: *Non impediaris* (inquit) *orare semper, & ne verearis vsq; ad mortem iustificari:* id est ne sinas te impediri à tam necessario exercitio. Beatus Augustinus, eandem comprobat veritatem. *Qui novit bona data,* ait, *dare filijs suis, petere nos, &*

Luca 18. 1.

1. *Tessal.* 5.

Psal. 36. 7.

Eccl 18. 22.

Epist. ad Probam. 121. c. 8.

quærere, & pulsare compellit. Quod quare faciat, qui novit, quid nobis necessarium sit priusquam petamus ab eo, satis exploratum est.

4. Hoc divinum mandatum fundamento admodùm solido nititur. Quid enim prodest homini esse, si & semper esse, & beatus esse non possit? At qua ratione id assequemur? Tenetur enim quisq; seipsum diligere, conservareq;(vti res omnes facere advertimus) & primam sui rationē ducere, maximè verò vbi de salute ęterna agitur, quam sub pœna perpetuę dānationis quærere, adipisciq; obstringimur, etiā lege divina, & naturali. Quid enim prodest homini esse, si & semper esse, & beatus esse non possit? qua inquā ratione id assequemur? Qua via? Quo subsidio? oratione constanti ac continua petitione. Quid? alia via, ac ratio nulla? Nulla planè. Cùm enim à Deo auxilium hoc pendeat, nec ipse largiri statuerit nisi petentibus, necesse omnino est, ad orationis asylum cofugere ni perire velimus. Hanc veritatem sic confirmat B. Augustinus. *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire: nullum invitatum salutē suam, nisi auxiliante Deo operari: nullum, nisi orātem auxilium promereri.* Hęc Augustinus. At cur Deus rogari vult? Dominus est: ita ipsi placet; & ni rogaveris, nihil obtinebis. Cur ita? bono tuo, vt nempè identidem accedēs, cognoscas, & quidem eum vnum esse rerū omnium

Lib. de Ecclesiasticis dogmatibus

omnium auctorem, & maximè gratiæ ac salutis tuæ; vtq; acceptis beneficijs illū diligas, & ab eo magis diligaris, illiq; gratias agas: cum enim ait, *Petite & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis*: satis insinuat, nisi petas te nihil accepturū. *Nolite* (ait Christus) *murmurare in invicem, nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Quasi dicat; Nolite murmurare ob ea quæ dixi; sed potiùs Deum precamini, vt nos illuminet. Nemo enim potest credere in me, nisi quem pater traxerit. Dices non trahor. Respondet S. Augustinus. *Si non traheris, ora vt traharis.*

Matt. 7. 7

Ioan. 6. 43.

Tract. 26 in Ioanē.

5. Quoties ergo necessitas ingruit, toties oportet ad orationem confugiamus, ne auxilio opportuno carentes, salutis nostræ iacturam faciamus. Necessitatum varij casus: atq; inprimis ea non minima, qua quis peccato læthali obstrictus iustificationem adipisci tenetur. Ait David. *Tu remisisti impietatē peccati mei*; & addit. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus*: multò ergò magis peccator orare tenebitur.

Oratio-nis necessaria occasiones.

1.

Psal. 31. 5.

6. Alia necessitas, cùm gravis tentatio ingruit non enim minùs iustus tenetur iustitiā cōservare, quàm impius acquirere: Ecclesiasticus certè ita nos hortatur. *Qui diligit Deū exorabit pro peccatis, & cōtinebit se ab illis. Oratione ergò vitatur peccatū. Hinc Christus Dominus, vigilate,* ait Apostolis suis, *& orate vt non intretis in tentationem*

2.

Eccl. 3. 4

tentationem.

7. Quid si non vrgeat admodùm tentatio? Nihilominùs tam variæ, graveſq; labendi occaſiones ſunt, vt ſine orationis præſidio eas nemo queat effugere. *Arbitror* (inquit Chryſoſtomus) *cunctis eſſe manifeſtum quod ſimpliciter impoſſibile ſit abſq; precationis præſidio cum virtute vivere, cumq; hac huius vitæ curſum degere*

Lib. de orando Deo

§. 3.

8. Graviſſima neceſſitas quærendæ ſalutis eſt, cum mortis periculum imminet, quo tẽpore omnia tuta timenda ſunt. Ideo Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis ſæpe inculcat, ac ſeverè monet; *Videte, vigilate, & orate, neſcitis enim quando tempus ſit.* Iterum alibi. *Vigilate itaq; omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt,* Ex quibus ſequitur, eum qui naui ſe committit, vel periculoſum iter aggreditur, vel domicilio contagione laborante, orationis, ſalutiſq; præſidia negligit, ſeq; damnationis periculo exponit, graviſſimo ſcelere ſeſe obſtringere; Eum quoq; cui copia Sacerdotis non eſt, ad exomologeſim faciendã, teneri ad orationis aſylum confugere; ſicut & eum, quem vel celebrare divina, aut ſumere neceſſitas vrget

Marc. 13 33.

Luc. 21. 36.

4. 9. Si quis in virtutis palæſtra velit proficere (quod Religioſi profitentur) neceſſe quoq; eſt ſibi orationem reddat familiarem, alioquin infinitis nævis, ac defectibus ſcatebit, & verò nunquam virtutis robur, ac ſoliditatem attinget

Ad proficiendũ in virtute.

attinget, Ideo nos hortatur B. Petrus. *Estote* 1. *Pet.*
prudentes, & vigilate in orationibus. Sicut oculus 4.7.
corporis (inquit S. Hilarius) *etiam plenissimè sanus,* *Lib. de*
nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: Sic *natura*
etiam homo perfectissimè iustificatus, nisi æterna *& gra.*
luce iustitiæ diuinitus adiuvetur, rectè non potest
vivere. Hęc Hilarius. At lux illa oratione impetratur vti virtutes omnes cum studiosè ijs acquirendis operá damus, simulq; à Deo ardenter, illas nobis infundat efflagitamus. *Si quis indiget Sapientia* (inquit B. Iacobus) *Iac.* 1.5.
postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & da- *Lib. de*
bitur ei. Chrysost. verò: *qui fiat* (inquit) *vt quis* *orando*
virtutem exerceat nisi continenter supplex ad genua *Deo.*
accidat ei, qui virtutem omnem largitur hominibus.

10. Corporales quoq; necessitates, in hoc mi- 5.
sero exilio multæ non desunt, ob quas ad di- *In varijs*
uinā benignitatē conciliandā confugere de- *afflictio-*
beamus. *Fili* (ait sapiens) *in tua infirmitate ne* *nibus*
despicias teipsum, sed ora dominum, & ipse curabit *Eccl.* 38.
te. Quid mirum si desolationem patiamur ob 9.
morbos, bonorum iacturam, damnaq; quæ quotidiè incurrimus. Ad tabernaculum domini, ad patrem misericordiarum, in sinum matris, afflicti atq; inopes negligentes recurrere; ideoq; dolore contabescimus, in squalore & ærumna miseram vitā trahimus; quā lætam duceremus, si orationis solatio vteremur. 6.

11. Gratos quoq; nos Deo, ac memores *Gratitu-*

 esse *dinis ergo*

esse beneficiorum decet: sæpeq; ingratitudo fontem benignitatis divinæ arefaciens, periculo nos desertionis exponit. Ideo Beatus Paulus. *In omnibus* (ait) *gratias agite.* Pulchrè regius psaltes. *Immola* (inquit) *Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Et *invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

1. Thess. 5. 17.

Psal. 49. 14.

7. *Orationis summa dignitas.*

12. Deniq; etsi nullum vitæ in hoc mundo salutisq; discrimen foret (quãvis innumera sint) nulla quoq; necessitas, aut præceptum, nihilominùs dignitas tàm eminentis exercitij ac colloquij, cum divina maiestate, instar vrgentissimi præcepti nobis esse deberet, vt assiduè hoc tanto bono frui, omni contentione niteremur, cum nullo modo sine incredibili cęlestium donorum, ornamentorum, solatiorumq;, ac meritorum iactura pręetermitti non possit. Hic profectò mihi verba desũt, tanta res est, cum summo illo numine ad colloquium admitti. Substituam mihi os illud aureum Chrysostomum, qui de hoc argumento, eloquentiæ flumen fudisse meritò dici potest. *Quisquis non orat Deũ* (inquit) *nec divino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est & vita carens, expersq; sanæ mentis. Nam hoc ipsum est evidentissimum amentiæ argumentum, nõ intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum quòd animæ mors sit, non provolui ad Dei genua. Quin insuper*

Lib. 1. de orando Deo.

insuper, quod oporteat quavis morte tristius existimare, si quis deprecatione privetur. Pulchrè nos docet Daniel ille propheta magnus, qui maluerit emori quā triduo duntaxat arceri ab orando. Hæc Chrysostomus. Cuius testimonio quod addā non habeo. *Dan. 6.*

SECTIO SECVNDA.

De distractionibus, earumq; origine & fontibus.

1. QVæ de orationis dignitate, necessitate ac fructu diximus, sic vera exploratáq; sunt, vt nemo sine gravi errore (& vt vult Chrysostomus) dementia negare possit. Nihilominùs multi hisce cœlestibus delicijs minimè assueti, laborem fugiunt: à suis commodis, rerumq; caducarum amore inviti, avelli sese patientes. Cumq; longissimum diei decursum nugis traducant, ijs absorpti, brevissimum earum tempus reputant: exile autem orationis spatium longissimum; cui, acceleratione molesti officij, quantum possunt nihilominùs detrahunt, vt desiderijs explendis insani tribuant, de iactura tantarū opum parùm soliciti. *lib. 1 de orando Deo.*

2. Accedit & aliud gravius incommodum: quod ij ipsi, etsi orare videantur, labiaq; moveāt, animus tamen non rarò peregrinatur, ampliusq; ibi sunt, vbi vel amant, vel sua eos

occupat

occupat cogitatio; quã aut in orationis loco, aut corã eo, cui se loqui arbitrẽtur; rati Deũ sibi admodùm astrictum, si brevi tempore, vel quippiã diebus singulis, vel hebdomadis, forte etiam mensibus, aliquas preculas oscitanter recitent.

3. An distractiones sint, & quid sint ignorãt nonnulli: rogatiq; an orationis tempore vagentur animo, negant. Alij etsi id facilè discernant; longa tamen assuetudine, atq; incuria, totum orationis tempus, alienis rebus cogitandis absumũt. Et quia difficile est mẽtem sistere, & palabundas cogitationes coercere, fracti rei difficultate, habenas laxãt, & impetum super venientium cogitationum admittunt; *nonnunquàm aut natura defectu, aut vitio proprio, aut certè iusto Dei iudicio ac dispensatione*. De tribus hisce fontibus sigillatim tractandum est.

Tres fontes vnde distractiones oriuntur.

SECTIO TERTIA.

De distractionum fonte, qui à naturæ imbecillitate proficiscitur.

1. Varia sunt hominum ingenia, naturæq; conditiones, temperamẽta iuxta ac complexiones: ex quibus vel ingenij, iudicijq; vivacitas emicat; vel morum venustas elucet: aut etiam stupiditas atq; inconditi

conditi mores sese exerunt; atq; vt alijs membra, alijs sanitas & vires: ita alijs partiũ illarum integritas, aut bonitas quæ ad magnã hominem aptum constituat vti supremo cõditori visum fuerit tribuuntur aut negantur, & vt cuiq; fundo sua est cõditio propria: *hic segetes; illicq; veniunt felicius vuæ*: ita & cuiq; sua est propensio, & industria. Nonnulli poetæ; alij pictores; alij architecti nascuntur; alij studijs apti; alij negocijs tractandis; ad hęc alij ineptissimi. Quare mirum non est, si subinde queramur de difficultate meditãdi, discurrendi, sistendi cogitationes, ne nos in fines orbis, orationis tempore deportent: si enim defectus in ipsa natura lateat, difficile erit hunc impetum fluctuum cogere ac concludere. Naturę ergò hic aliquot infirmitates exprimendę sunt, & remedia admovenda. *Vergil.* *Naturæ defectus.*

1. Prima est quædam instabilitas mentis, & concurrentium rerum volubilitas, quæ cogitationem in varia, & maximè dissimilia abripit. Hæc præsupponit aliquid in cerebro circa imaginativã desiderari. Fit etiam subinde vt complexio incondita, timidum reddat hominem, turbetq;, vt minimis quibuscumq; vmbris occurrẽtibus percellatur. Melancholia quoq;, quę fęx & sedimentum sanguinis est, tetras persæpe cogitationes, impuras, blasphemas generat, & scrupulos deterrimos, qui quietem omnem adimat, peccatorum 1. 2. 3. *Melancholia insania.*

catorum præteritorum memoriam assiduè refricēt,& muscarum instar recurrant, purgent, & velut impetiginis pruritus perpetuò mordicent. Quidam ad singula opera, ac cogitationes, peccata se perpetrare comminiscuntur, eaq; quasi admissa accusant; fregeris te, antequam eis persuadeas dicendo, vt cōsilio acquiescant, aut etiam sententiam mutent.

2. Defectus 1. 2. Alia infirmitas ex capitis prolixo dolore, aut virium defectu nascitur. Quo tempore parùm, vel nihil fieri potest; etsi non diffitear, quin aut rarò fiat vt etiam maximè infirmi, debiles, morbisq; depressi, optimo iudicio vtantur, ac discursu: nec tam arceātur ab attentione ob defectum discursus, quàm metu, ne vires necessarias labefactent.

3. Nonnullis constant vires, ac optima fruuntur valetudine, sed discursum nullum habent, quicquid sibi proponant, nihil occurrit aliud, quàm quod priùs conceperunt; aridi manent, & lateres lavare in oratione tempusve se perdere profitentur.

4. Contingit etiam subinde vt præter solitum, quis se planè ineptum inveniat, eiusq; indispositionis causam ignoret, vt quicquid attentet, præter ariditatem inveniat nihil; & si vim adhibeat, caput lędat. Hæc quotidiana; paucíq; sunt, qui non persæpè lamententur cum Apostolo. *Infelix ego homo, quis me liberabit*

rabit de corpore mortis huius? Et corpus quod corrumpitur aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Alligamur dum viuimus corpori infirmo, quo anima velut instrumento vtitur, & instrumẽto irrationali, quod non flectitur ad nutum artificis; ideò patientia nobis opus est, donec absorbeatur quod mortale est, & immortalitatem induamus, nihilominùs de remedijs cogitandum. *Rom. 4. 14.* *Sa. 9. 15.*

5. Non enim opinari debent qui hiscè infirmitatibus laborant, se ab orationis exercitio eximi, quandoquidem dominus seuerè mãdet, semper orandum, & nunquam deficiendum. Obseruandum ergo erit, an allata impedimenta perpetua sint: an verò temporanea: hicne instabilitate, ac volubilitate animi continua, quam arcere nequeat, laboret, an verò per interualla tantùm temporis: Ille dolore ne capitis assiduo torqueatur; Iste detineatur morbo absq; spe vlla recuperandæ valetudinis. Si enim incommoda hæc remittant sese, nec orationem internam, aut meditationem præpediant; fieri debet, quod fieri potest: Alioquin vt cibi alij sanis, alij infirmis conueniunt; sic exercitia, diuerso modo affectis quadrare dignoscuntur. Frustrà ergò hi mentem commentationibus diuinis adijcerent; lugeant ipsi infirmitatem suam, humilient Deo animas suas; patienter sustineant *Remedia contra distractiones ortas ex natura defectu.* *1.*

sustineant, & quod in hac virtute sibi desiderari, negariq; cernunt, aliarum virtutum exercitio compensare nitatur; magna in Deū caritate flagrent; qui per valetudinē possunt alijs lubenter obsequia sua deferunt; Humilitatis & obedientiæ amore atq; exercitio cæteris præstent; magno animo adversa ferāt: eleemosynis aliorum miseriā sublevēt. Hæc enim omnia ab omnibus si facultates non desint, exerceri possunt.

6. Nemo deinde obtendere potest, se frequentibus orationibus iaculatorijs vti non posse: eas habeat ad manum; frequenter interna ducat suspiria, ad Deū anhelet. His caput non læditur; discursu enim longo non est opus; vires non debilitantur. Formulas huiusmodi orationum dedimus in libro de studio perfectionis secundo.

7. Libelli precum hic opportuni esse possūt: vti & tractatus spirituales, quibus animus inflammatur, & mens præclaris sententijs imbuitur. Et quamvis ob animi inconstantiam, ac debilitatem, pauca memoriæ insideant: ipse tamen homo interior gratia aspersus remanebit, cribro haud absimilis, quod etsi aquam, quam recepit, minimè retineat, humefactum tamen effuso liquore persistet. Affectus namq; ex gratiæ, piæq; doctrinæ humore collectus imbuet internum pectus, ac contractam ariditatem macerabit.

8. Nolim prętere a horũ nonnullos, omni ex parte ab oratione mentali eximere. Eis enim magno præſidio erit ſi lectonẽ quandã inſtituãt, vel ſcripturæ ſacræ, vt pſalmorum, proverbiorum Salomonis, vel evangeliorũ, aut libelli alicuius pij, quorum textum oculis aſſiduè ſubijciant, & verbo tenus examinẽt. Exercitium hoc, partim lectio, partim meditatio appellari poteſt. Exemplo res evadet clarior. Aſſumo ruminandum pſalmum Davidis primum. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* 1. Ferculum quod mihi appono eſt verbum *Beati.* Et quare? An in hoc ſęculo beatitudo reperiri poſſit? In quo? Quomodò differat ab æterna? His paſtus delitijs, venio ad ſecundum. *Immaculati.* Et quæro, an beatitudo cõſiſtat in carẽtia macularum? Deinde quot genera eorum qui maculis fœdantur? Quinam ſine macula? Cur immaculati Beati? Tertium eſt. *In via.* Quid hæc via? Cur vita noſtra via appelletur? Cur lex divina, via vel ſemita? An quis in via carere poſſit macula? An ideò beati dicantur qui immaculatè vivunt in via? 4. *Qui ambulant.* Quid iacere? Quid ſtare? Quid moveri? Quid ambulare? Quibus pedibus promoveamur. 5. *In lege.* Quę ratio ambulãdi in lege Domini? Quid illa lex? An ſecura, an benigna, an proprijs viribus explenda. 6. *Domini.* Quis hic Dominus? An id nominis

4.

Pſal. 118
1.

mereatur, & hominum obedientiam. Hoc exempli gratia allatum sit. Levat hęc ratio meditantem à labore magni discursus; ab inventione argumenti; materiam copiosam variãq; suppeditat, & non sine instructione, novaque consolatione commentantem relinquit.

5. 9. Qui minùs à scientia instructi sunt, vti poterunt imaginibus, quibus aut vita, ac virtutes Christi Domini, aut sanctissimę eius matris aut sanctorũ delineatæ sunt; & dum singula percurrent, vtilem meditationem instituent.

6. 10. Valent verò quã maximè puncta quædã suggesta, de Passione Redemptoris nostri, aut etiam iconibus expressa. Nescio enim quid bonus Dominus repẽdere soleat ijs, qui in passionis eius, vel sola cogitatione occupantur.

7. 11. Non debent quoq; inutiles æstimari orationes vocales, quas à parentibus, vel in scholis, vel Ecclesiæ vsu, aut libellis hausimus, ac didicimus: quod enim à religiosa mente proficiscitur, id Deo gratissimum; ac sæpè propior est huiusmodi simplicium, &
8. mansuetorum orationibus, quàm altis eruditorum speculationibus. Qui legere nesciunt recitent orationem dominicam. Hæc perfectissima oratio est: eã filius Dei ęterna Sapientia composuit & dicere iussit. Salutẽt

Angelico more virginem Dei parentẽ. Deniq; quod pia mens eis suggerit, in conspectu Creatoris sui fundant humiliter: Internum eorum clamorem Deus exaudiet. Quare nõ est quòd queramur de difficultate orãdi: etsi enim benignè Dominus Deus indulgeat nostræ infirmitati; ęgrè tamen feret, si nihil attulerimus obsequij nostri, & cũ innumeri Angelorum & hominum cætus, illum laudẽt ac prędicẽt; nos beneficijs cumulati, ei gratias non referamus; honorem debitum minimè deferamus; & ab eo qui opitulari potest, opem & gratiam petere negligamus.

SECTIO QVARTA.

De fontibus distractionum, quæ ex hominum culpâ promanãt, atq; inprimis de animi perturbationibus.

1. ETsi animus hominis libertate prędi- *Infirmitas humana unde nascatur.* tus sit arbitrij, vt se quò voluerit inflectat: multa tamen sunt, quę infirmam voluntatem inclinent in eam etiam partem, quam recta ratio aversatur: ipsáq; voluntas sæpè cedit iuri suo, & se regi permittit, invita ratione, ab aliqua perturbatione, & affectu, etiamsi mens iudicet se & naturę legẽ divinamq; pręvaricari: huius rei ratio est quòd affectus ac perturbationes in anima *Passionũ vis.* ipsa, atque adeò in appetitu resideãt, & mag-

gno pondere trahant in partes suas voluntatem, quæ non rarò molesta solicitatione, precibus, impulsuq́; fatigata, manum victa porrigit: accedit quòd vbi minimùm illæ affectiones animi invaluerint, iudicium ac rationem perturbant, coguntq́; de se, rationibusq́; obiectis cogitare, falsa pro veris obtrudentes, donec in sententiam suam iudicium pertraxerint; ea ratio est, qua homo etiam invictus expugnatur. Quòd si cõstans alioquin stabilisq́; sit; quamdiù tamẽ huiusmodi perturbationes vigent, in nobis tyrannidem pati, multosq́; susurros, ac suggestiones audire; ijdem turbari à solido virtutis studio, à sanctis cogitationibus avocari, in partes varias, & à nobisipsis avelli necesse est. Ea est vis affectus, seu perturbationis. Quæ cum subinde omni pœnè hora dominatur, tum maxime orationis tempore, quo animus cæteras curas seponere solet, sævit, & velut in possessionem suam ingreditur. Hinc Beatus Gregorius. *Non prævalet mens turbata conspicere: quod vix tranquilla valet inhiare. Nec enim sol in nubibus cernitur, nec imago in aqua turbata.*

Libri. 5. mora. c. 33.

2. Exemplo res evadet clarior. Ambitio vbi invaluit occupat inprimis sedem imperij voluntatem, eamq́; demulcet, & cum eius bona gratia facultatem imperandi menti, vt cogitationes ambitionis excipiat, procurat; id si adipiscatur, rationis lumini tenebras offundit,

3. Ambitionis perturbatio.

fundit, veritatis principia evertit; itàq; & animum & mentem inflammat, vt cogitationũ recurrentium mole obruatur. Quis hic modus orandi? vbi solitudo mentis? vbi intentionis rectitudo? vbi præsentis Numinis & timor, & amor? Et quò cogitationes hę omnes? Sanè in fumum abeunt. *Nunquid* (ait Ieremias) *regnabis; quonian conferes te Cedro?* Multa de nobis imaginamur, cedro libani nos conferentes. Quid denique sequitur? *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros libani, & transivi, & ecce non erat; quæsivi eũ & non est inventus locus eius.* *Iere. 22. 15.* *Psal. 36. 35.*

3. Quid de inordinato amore mulierum dicam? quanta insania? quibus furijs totus homo corripitur, atq; inardescit? Nec modò vesania hæc corpus, venas, sanguinem, aut medullas invadit, sed etiam arcem animi inflammat, labefactat, ac deijcit. Quis modus de Deo cogitandi? Quę ratio torrentes ac flumina cogitationum sistendi? Optimè sapiens ac verissimè. *Quod*, inquit, *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Porci sunt libidinis servi; consuetudo mulieris, aureum monile reputatur. Sed hoc vnco fucato configuntur insani, fœdiq; amatores, non tantùm in rictu & affrictu oris externi, sed maximè interni affectus, quo mulier fatua, eiusque recordatio quocumq; voluerit, vesanum pertrahit. 4. *Mulierũ amor inordinatus* *Prov. 11. 24.*

4. Irati hominis mens non longè aptior ad orationis munus est. Ideò nos hortatur Apostolus, *vt levemus puras manus ad Deum sine disceptatione, & ira*. Ira namq; rationem evertit, ac præcipitat; ingenerat odium; quòd & affectum, & memoriā occupat, eosq; nō facilè deserit, quocumque perrexerint. Tollit etiā atq; obliterat suavem Dei recordationem, omnia vindicta, vltione ac cædibus rigescunt, *sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas*, ait sapiens. Carbones & ligna facilè ignem concipiunt, qui ea ipsa devorat, ac consumit: sic & ira in affectu ac memoria remanens, quicquid virtutis ac pietatis in animo residet, labefactat atq; comminuit.

5. *Ira passio.* 1. *Timoth.* 2. 8. 3. *Ira.* *Prov.* 26. 21.

5. Redeunt etiam in auaris cogitationes auaritiæ, & pungunt & cruentant animā. Quoties nummos suos computat orans? Quoties loculos volvit & revolvit? Quot de lucro discursus facit inanes? *Auarus non implebitur pecunia*, teste Sapiente; *Et qui amat divitias fructum non capiet ex eis, & hoc ergò vanitas*. Lōgum esset cetera persequi. Hæc exempli gratia allata sint.

4. *Auaritia.* *Eccl.* 5. 9.

6. Nec est quòd quis dicat, perturbationes has in viris perfectionis amantibus, quiq; in ea progressus non penitendos fecerint, minimè reperiri. Fateor fieri posse, vt plurimi huiusmodi habitus exuerint. Non desunt

tamen

tamẽ & perfectis nævi sui. Ii graviores has labes absterserint; remanenttamen subinde nonnulli affectus occulti, quos evellere difficillimum est. Parvi putantur, quòd in modica materia, vt plurimùm appareant; non tamen minùs intensi sunt, quàm qui in imperfectis hominibus notantur circa graviorẽ materiã. Iudicij sui subinde sunt valde amãtes. Alij velle debent, & laudare, quod volunt, & probant ipsi. Afficiuntur erga res parvas. Nepotes aut neptes impensissimè diligunt, aut etiam pias personas vtriusq; sexus. Si eos in tali materia vel attingas tãtùm, si in aliquo reprehendas, videbis veterem hominẽ cum actibus suis in viris illis perfectis vigere; eos diutiùs recordari iniuriarum; admittere ac fovere cogitationes & muscas, quæ exterminant suavitatem pretiosi vnguẽti pietatis & conversationis cum Deo. *Sinceri passiones.* 3.

7. De remedio, cogitandum nunc est. Et quidem illud primum, nec infimum medicamentum, nosse morbum suum. Curationis maiorem partem medicus attigit; qui morbi causam assequitur. Deinde necesse est vt is, qui malum suum cognoscit, & fatetur; curare, sanareq; velit. Stulti mortales malũ quo graviter onerantur amant; & à se excutere, quod facile possent, si vellent, nolunt. Bis miseri quòd miseriam ferant, & tamen ea carere nolint. Tertium remedium, in lõ- *Remedia contra passiones.* 1. 2.

3. go ac continuo ſtudio deſtruendi atq; excludendi morbi conſiſtit. Pertinax morbus eſt, & vt lapis duriſſimus vno ictu non rumpitur. In id quoq; incumbendum, ne facilè perturbationes cùm occaſio aliqua naſcitur, admittamus. Vrgent illæ quidem admiſſionem, & audiri volunt; infinitas cauſas menti obtrudunt: ſi vel in minimo eis aurem præbeas, intrabunt, & veluti in poſſeſſionem actæ, pacem & trãquillitatem animi pellent, & quicquid interni ſolatij ac ſpiritus divini eſt, depaſcentur.

Principijs obſta ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

4. Huic morbo remedij adfert plurimum pietatis ſpirituſq; divini acquirendi ſtudium, quo ſpiritu cùm mens arida imbuitur, facilè peſtilentis ſpiritus putredo abſtergitur; vt enim terra arida rivo irrigata fructifera redditur: ſic mens perturbationum ſpinis horrida fructuq; carens, gratia divini ſpiritus aſperſa, fœcunda redditur, atq; hic rivus cæleſtis vitiorum ſpinas evellit, & virtutum plantis fœcunditatem adfert.

5. Huc facit, vt antequàm ad orationem accedas, animi motus ſedes, fluctus illos præteritos in malaciam convertas, & ne recurrant, pro virili efficias. Aderit benigniſſimus Dominus conatibus tuis, cùm viderit ex parte tua nihil laboris, curæ, & induſtriæ deſiderari, Poſtremò

mò memento, malum omne, quod homini potest accidere vel ab extrinseco nasci, vel à domestico hoste parari. Hæc pestis in penetralibus est, virus omne in te nascitur, & qui intus est hostis, tibi mortem comminiscitur & parat. Si quando illi ansam atq; occasionẽ præbes exteriùs; illã interiùs arripit illicò conspirat, aditumq; facit, & adversarium admittit. Denique, domesticum hostem extermina: occasiones fuge; & pacem & tranquillitatem in oratione invenies. 6.

SECTIO QVINTA.

De negligentia secunda causa culpabili distractionis

1. Distractiones, ex negiligentia sæpè pullulare, nemo sanę mentis facilè negabit. Illa verò in omissione alicuius officij quod adhiberi debet consistit. Hinc famulum negligentem vocamus, qui quæ officij sui sunt, vel prætermittit, vel perfunctoriè facit. Et nos servi inutiles ac negligentes dicimur, cum ea, quæ ad orationis dignitatem spectant, quæq; vsurpare deberemus, omittimus. Hæc autem censeri possunt. Omissio gratiæ divinæ oblatæ, aut petendæ, aut comparandæ. Sæpè enim Deus prævenit nos gratiâ sua, eamq; effluere permittimus. Dicimur ergò tum negligentes, cum negligimus id officij, quo Dei fauorem excipere,

Negligẽtia in orationibus. 1.

aut nobis conciliare deberemus, sine quo
2. orationem debitè atq; attentè instituere non possumus. Item cum ad beneficia nobis prę-stita minùs attendimus, vt Deo grati, ac me-
3. mores beneficiorum simus. Tum quoq; ne-glecti officij arguimur, cùm ante oratio-nē, dispositiones necessarias, de quibus antę
4. copiose egimus, minimè adhibemus: quæ petenda aut meditanda non prępidemus cum sine animi quietę, ac collectione ad oran-dum prosilimus distractionibus ansam, atq;
5. aditum prolixè præbentes. Cum orationis tempore, nec sensus externos, nec motus
6. internos, orientesq; cogitationes coercemus, aut pręscindimus, cùm exteriùs ea tractamus,
7. facimus, atq; exercemus, quæ cum orationę nostra nullum habent commercium, quæq; alijs loco, & tempore fieri oporteret; cùm
8. Deùm nobis præsentem non reddimus, de eo ante orationem minimè cogitantes, nec ei reverentiam exhibentes. Deniq; cum ora tionis laudumq; divinarum ministerium, perfunctoriè, & quasi civile aut męchanicū opus peragimus.

Negligē-tiarum gradus.

2. Negligentiarū verò aliæ leves, alię supinæ, quasi affectatæ. Hæ posteriores in materia pręsertim obligatoria graviorē subinde cul-pā generant: vt qui in notabili officij suiparte distractiones quæreret, aut affectaret. Cætera pro gradu suo, plùs minùsve à Deo puniūtur.

3. Huc

3. Huc referri debent distractiones; quæ ex infirmitate nascuntur. Res enim difficilis est Roma. 8. continere spiritum suum, & imaginationem 20. palabundam cohibere. Sanctissimi quiq; ingemiscunt, & parturiunt vsq; modò. *Vanitati enim & infirmitati huiusmodi, creatura subiecta est, non volens: non solùm autem illa sed & Apostoli primitias spiritus habentes.* Et licet quando diligentiã adhibemus, quam possumus, à peccati labe immunes simus. Verùm quis ad hęc idoneus? Quis dicere potest, mundum est, cor meum; & quod facere debui, feci.

4. Remedia sunt, magno imprimis animo Remedia 1. statuere pro virili, eas & vitare, & non admittere. Sæpè enim defectus nostros, quos improbamus palpamus, & volentes retinemus, sine proposito eos deserendi, prȩsertim vbi nonnulla difficultas sese obijcit. Arduum sanè id est, perpetuò invigilare cogitationibus, mentem intra sese concludere; vagandi libertate se privare. Plurimùm sanè valet, cũ in omni negotio molȩsto ac difficili; tum in attentione conservanda, firma ac constans animi resolutio. Alterum est nunquam desperare de acquirendo habitu attentè Deum 2. precandi. Si enim adhibita contentione pijssimi viri lubricam illam mentis volubilitatem adeò difficulter coercent: quid erit si illi laxentur habenæ, ex desperatione tantæ molis superãdæ? fac quod potes; tuis conatibus

aderit

aderit bonus dominus, quos minimè secundabit, si animum abijcias. In quo valdè illi displicebis; vel quia socordiam foves, animiq; fortitudinem atq; constantiam deseris; vel quia de eius auxilio cū quo plurima eaq; magna potest efficere diffidis.

3 3. Pœnitentiæ subinde subeundæ sunt, si quando tepiditas surrepat; excitandi spiritus, aut pia lectione, aut examine particulari adhibito, sacramentorum vsu; consilio directoris: exigendæ pœnæ, si quando propositum transgressus fueris.

4 4. Initio orationis Deum precare, vt cacodæmonis illusiones abigat, manu protectrice advenientes repellat, mentem roboret, atq; illustret cælesti luce, & animum delectatione perfundat, vt orationem cum voluptate, quæ quasi vehiculo laborem & molestiam levat, perficias.

5 5. Quòd si contingat in decursu orationis animum aliò transferri; vbi animadvertis, brevi, Deo propitiato, illicò abruptas, partesq; in vnum coire facias, & perge alacriter vt poteris. Sensim enim disces, primùm, longiores moras non admittere. Tum faciliùs redire ad rem. Deniq; & rarò à te divelli & facillimè te tibi ipsi reddere.

6 6. In fine orationis observa, an occasionem vanis imaginibus dederis. Castiga negligentias quantumcumq; exiles: nam per-

turs

turbationes ille velle censetur, qui causam & occasionem, vel admittit, vel cùm potest non removet. Vide etiam quibus auctoribus aut fōtibus eæ excitatæ fuerint, an à dæmone, an passione, an incentivis carnis, an prava consuetudine; Item vtrum initio, medio, aut fine. Hæc via est artem benè orandi addiscendi. Si res benè successit, gratus esto ei, qui tibi eam gratiam largitus est.

SECTIO SEXTA.

De otio, tertia causa culpabili distractionum.

1\. TRibus ex capitibus otium orationi præsertim mentali officit, & turbationes generat cùm ex parte auxilij cælestis: tum ex indispositione orantis: tum deniq; ex natura otiositatis. *Otium orationi repugnare, ex tribus capitibus.*

Et quidem ex parte Dei, cuius est opem necessariam fundendæ orationi præbere, quam si subtraxerit frustra de successu speramus. *Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* At spiritum hunc Dominus dare otiosis non statuit, teste eodem Salvatore, qui ait, *quātò magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum, petentibus se.* Non ergò spiritus hic inertibus datur, sed obnixè à Deo petentibus. *1. Ex parte Dei. Prob. 1. Rom. 8, 26.*

2\. Accedit potissimùm eos Dei gratiam promereri qui puritati student, & peccatorū vel etiam nævos minimos refugiunt. At otiū 2.

vitiorum

Eccl. 33. 27. vitiorum omniũ mater atq; origo est, *multam enim malitiam docuit otiositas. Et iter pigrorum*
Prov. 15. 19. *quasi sepes spinarum.* Qui pedibus nudis ambulat, & se in spinas inijcit, seipsum cruentat. Otiosorum affectus, seu pedes nudi sunt virtutibus, quibus cõtra peccatorum spinas pungentes munimur. Quàm igitur vita illorum punctionibus est obnoxia! Hi ergò non merentur divinam opem orationi necessariam, qui nec eam quærunt, & oblatam negligunt, & abijciunt.

2. Ex indispositione orantis. 1. 3. Ex altero capite. Otium fons oranti quoq; est, omnis perturbationis. Animus enim neglectus, instar est agri inculti, ac deserti, cuius solum sterile, & carduis sentibusq; scatens, à quo sperare præter spinas
Prov. 24. & tribulos debes nihil. *Per agrum*, ait Sapiens, *hominis pigri transivi & vineam viri stulti, & ecce totum repleverant vrtica, operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidũ destructa erat.* Quòd in agro hominis pigri animadvertimus; hoc in animo eiusdem fieri spiritus sanctus asseverat: nempè & ineptum esse ad spirituales operationes fructumq; proferendum, & infinitis vitiorum impedimentis circumfluere.

Ezechie. 16. 35. 5. Adde otiositatem in delectationes carnis torpentem solere deducere; & qui virtutum epulis non capiuntur, ventris delicijs ac carnis voluptatibus oblectari. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodoma sororis tua, superbia, saturitas panis*

& abundantia, otium ipsius & filiarum eius; & manum egeno & pauperi non porrigebat: & elevatæ sunt & fecerunt abominationem coram me. Mens otiosa (ait Cassianus) *nihil aliud cogitare novit, quã de escis, & de ventre.* Hęc sanè hominem ad orationem parùm reddunt idoneum. Venter plenus despumat in libidinem; spiritum non inflammat, sed carnem & sanguinem accendit. *Lib. 11. de spiritu Acc. dia.*

5. His accedit, dæmoni ingressum patere in ędes vacuas, & otiosas, & ipsum nõ tantũ orationis, sed omni etiã tempore turbas, motusq; ciere, & quicquid potest mali, importare. Moniti sumus à Christo pulcherrima illa parabola. *Cum dormirent homines, venit inimicus homo & superseminauit zizania in medio tritici.* Zizania sunt fœdæ cogitationes, desideria ambitionis, voluptatum illecebræ, quæ cum varijs occasionibus menti insinuantur, & ingeruntur; tum maximè orationis horis, muscarum impudentissimarum instar circum volitant, mordent, & aculeum infigunt. *Matt. 13 25.*

6. Quod si naturam otiositatis consideremus (quod tertium erat caput) inveniemus directè orationi oppositam esse. Est enim oratio mentis animiq; vires suas exerentis actio atq; exercitatio. Otium verò, quies, & actionis omissio, seu cessatio ab opere, & eò maximè, cui instanter vacare oporteret. Qui orat, vires omnes intendit, sive naturales, *3. Caput Ex natura otiositatis.*

sive

sive supernaturales: sensusq; omnes animi admovet, vt Deo convenienter loquatur, Deum audiat, eius odorem percipiat, eius suavitatem degustet, ipsum complectatur, ipsum quantùm natura permittit viatoris, videat. Otium, hæc excludit vniversa; nihil agit, nihil contendit, quietem & oscitantiam affectat.

Otium in duplici differentia.

7. In duplici verò differentia cōcipi otium potest. Vt primùm non connotet omnimodam quietem, & cessationem ab omni actu, sed tantùm actus illos excludat, quos homo

1. eo tempore exercere teneretur. Dicitur servus otiosus qui totos dies nugatur, & Domini sui obsequia negligit. Ita etiam otiosū nominamus, qui etsi multa verset, tractetq; intempestivè animo, & corpore; prætermittit tamen importunè, quæ tractare intereà deberet, vt qui tempore sacri obligatorij obambulat, aut mensæ accumbit.

2. 8. Aliter accipi potest otij nomen, vt otiosus dicatur, qui nihil omnino facit & animo nil cogitat, nihil desiderat, nihil complectitur. Vtrumq; in oratione reprehensibile est, & aliena cogitare, & à pia cogitatione desistere. Hoc otium à Sanctis patribus perniciosum vocatur; eoq; laborant nō raro, qui diutiùs, quàm vires ferant, orationem men-

Otium perniciosum.

1. talem protrahunt. Ii deinde, qui ea meditari volunt, quæ captum eorum superant. *Altiora*

tè ne quæsieris, monet Sapiens. Hoc sæpè patiuntur, qui sine materię subiectæ præparatione, ad meditationem accedunt; quibus si nihil occurrat, & in incertum vagentur, nulli nisi sibi ascribant. *Eccl. 3. 22.*

9. Illud quidem fatendum est: contemplationis tempore, animam adeò inflammari posse, vt in adepto fructu, ac solatio conquiescat sine labore, sine discursu. Non tamen id fiet sine vllo actu: mens enim videt quid obtinuerit, voluntas afficitur, & delectatur. Quòd si homo post intimam illam cum Deo communicationem ac coniunctionẽ agere, cogitare, delectari, frui, ab omni deniq; animæ actu cessare dicatur: dicendus est etiam otiosus, & quidem otio pernicioso, quæ stupiditas quędam est, & mentis inanitas: quia impossibile est Deum amare, sine cogitatione dirigente: Deum complecti, sine actu voluntatis & amoris.

10. Nunc de remedio cogitandum, in quantùm saltem otium orationis est impedimentum.

Primùm quidem operę pretium videretur studioso pietatis, vt omnes horas diei distribuat, ordinemq; illũ servet accuratè. Certa hora surgat; orationi tẽpus attribuat, lectioni, studio, refectioni, corporis relaxationi, labori manuum; denique quieti spatium circumscribat. Ordinem hunc non facilè *Remedia*

immutet. Quòd si mutari contingat; id semper in melius, iustamq; ob causam. Hinc facilè quisq, perspiciet num tempus suum vtiliter transigat. Quòd si secus fieri animadverterit, corrigat.

11. Quæcumq; illi non incumbunt, vel ex officio, vel ex caritate aut necessitate id cum iactura temporis coniunctum esse existimet, & ad otium pertinere. Tales sunt visitationes frequentiores amicorũ, quæ tantùm animi gratia instituuntur, & ad fallendum tempus. Longiores item collocutiones cum necessarijs, aut consanguineis, alijsq; amicis qui meritò temporis fures nominari possunt. Huc pertinet somnus diuturnior, quàm ordo aut necessitas requirat. Turpe est iuvenem vltra septem horas stertere; ac pretiosissimũ, aureumq; auroræ appetẽtis tempus adeò degeneri torpore proterere. Super omnia tibi caveas à consortio mulierum quantumcũq; eæ piæ sint, ac devotæ; rarò eas visites: si te adeãt, audi benignè quæ proponunt; respõde ac dimitte cum odore bonę ædificationis. Hac ratione te suspicient & observabũt. Memor esto dicti Sapientis. *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens*; longè enim plus detrimenti puritati, pietatiq; tuæ, sua modestia ac colloquijs spiritualibus adferent, quàm illis ipsis spurci alicuius ganeonis scurrilitas ingerere poterit. *Ne attendas fallacia mulieris*

Eccli.42. 14.

eris: favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: & acuta quasi gladius biceps. Quod Salomon de fatua muliere asseverat, timeri debet ab ijs, quę aliàs & bonæ habentur, & gratiosę reputantur. Existima te operam perdidisse cum sine necessitate, vel breve aliquod temporis spatium, cum ijsdem absumpseris. Etsi pietas sit, opportunè illis opitulari; maioris pietatis est cõscientiæ tuæ, ac bonæ ædificationi consulere. Ad otium inquam pertinere puta, quicquid sine evidenti necessitate in hisce colloquijs temporis consumpseris. Proverb. 5.2.

12. Trahit sua quemq; voluptas. Ideò non pauci trahentem sequuntur. Venatione capiuntur alij, alij lusu vario: alij horologia perpetuò fabricant, alij numismata. Si hæc loco, tempore, ex officio tractetur, legitimè fieri possunt; si tantùm quia sua trahit quemq; voluptas, non ex officio, nec ex instituto, vt si à sacerdote vel religioso: omninò huiusmodi orationi attentionem non adferunt, sed omnem pietatis contentionem, sensumq; in se transferunt. 4.

13. Postremò illud tantùm addam Cassiani solidum salubreq; consilium; *experimento* inquit *probatum est, acediæ impugnationem non declinando, sed resistendo superandam.* Forti enim animo, dum cum Deo colloqueris, torpor excutiendus est: si enim locum ei dederis, te 5. Lib. 10. de instit. mon.

tuamq; orationem opprimet, & sine fructu tristis atque inanis ab ea recedes.

SECTIO SEPTIMA.

De scurrilitate, quarta causa culpabili distractionis.

Scurrilitas, & alia linguæ vitia

1. OTio admodùm affinis est scurrilitas, & loquacitas; cui haud rarò sese immiscet morum dissolutio, cachinnatio, inepta lætitia, risus immodicus, & si quæ sint huiusmodi, quę linguę immoderationē sequuntur.

2. *Detractio*

His quoque affines accedunt, detractio, iræ impetus subitanei, mordacitas, irrisiones, secretorum revelationes, quæ mentem postmodùm acriter lancinant, scrupulos & aculeos magnos subijciunt, & infixos relinquunt.

3. *Ex his scrupuli Orationē impediūt*

1. 2. Gravia sunt hæc vitia, & plùs quàm animo concipi potest, orationem impediunt. Si enim otium, quod vel actus excludit, vel nullius momenti ludrica complectitur, ineptum animum ad consortium cum Deo ineundum reddit, eo quòd nugæ huiusmodi sępè recurrūt, & sanctarū cogitationū locū præripiāt: quātò magis scurriles sermones, nē dicā, turpiloquiū, verborū iactantia, atq; inanitas?

3. Accedit vt quę ore pronuntiantur, magis feriant phantasiam, & affectus naturales quā quæ inaniter, temereq; cogitantur.

4. Pijs

4. Pijs quoque mentibus sat exploratum est, quantam molestiam adferat exiguus scrupulus, quamvis levioris alicuius culpæ, etiam imprudenter admissę. Quid facient tã enormes defectus, cum oranti recurrent, & animum iustè ferient ac mordicabunt? Qua ratione quis eos excutiet? Quomodò feret aculeos? eorumq; deponet memoriam?

5. Huc facit solicitudo ac cura, ne ea quæ cum iniuria aut offensione alicuius, imprudenter aut iracundè dicta fuere, referantur: neve aversiones, rixas, dissentiones pariant; ne qui à superioris gratia excidant; aut promotionem suam impediant. Pœnitere quidem licet dicti aut facti, sed volat irrevocabile verbum index mentis & animi. Hinc sapiëtissimè Ecclesiasticus. *Lingua imprudentis subversio est ipsius.* 3. Eccl. 5. 15.

6. Minuunt hæc quoq; Dei benevolentiam & impediunt, quò minùs fluenta gratiæ largiùs ipse orãtibus infundat; sine quibus arida est oratio, & insipida. 4.

7. Sed de remedio agendum; atq; illud inprimis occurrit, odium nempè magnum concipere harum omnium ineptiarum, quas cùm in alijs videmus, non modò displicent, sed etiam detestamur; nolumus enim irrideri; modestiam probamus, ac diligimus in alijs. Nolumus quicquam nobis detrahi, nec aliorum linguis proscindi. Cogitemus hæc *Remedia* 1.

quoque alijs in nobis displicere; otiosos, & contemptibiles nos reddere. *Sagitta infixa femori carnis* (ait Sapiens) *sic verbum in ore stulti.* Sagittæ sunt verba imprudentium. Sæpè qui feriunt canes sunt, qui & mordere te, & allatrare possũt. In femore læsi dicuntur, ob honoris sui iacturam illatamq; iniuriam, præsertim in nervo, seu puncto incontinentiæ.

Eccl. 19. 12.

8. Deinde erubescamus faciem omnipotentis Dei, qui meritò, cum ad orandum accedimus, videns conscientias nostras hisce maculis fœdatas, exprobrare potest nobis tacitùs nostram scurrilitatem, & nos à se confusos propellere.

SECTIO OCTAVA.

De nimijs occupationibus, quinta causa culpabili distractionum.

Occupationum detrimẽta.

1. Fugientes otium, ex opposito nonnulli dũ vitant charybdin, incidunt in scyllã: & sese occupationibus immergunt, ijs delectantur atq; involvuntur: & licet non sine inquietudine & sanitatis, imo salutis detrimento; malunt tamen servi esse, ac mancipia rerum & occupationum, quàm libertate qua frui possunt, gaudere. Miseri mortales, qui miseriam amant, & felicitati anteponunt.

2. Occu-

2. Occupationum autem aliæ turpes aut periculosæ; aliæ temporales & corporales; aliæ honestæ & spirituales. Cùm verò omnis occupatio immoderata orantis quieti præiudicat; tũ turpis sanè prorsus evertit. Parùm apti ad orandum iniusti negociatores, auariq; & qui lusu lucrum quæritant, & poculis sese ingurgitant. His satis vicini sunt ij qui vt laborem fugiant, militiæ & sceleribus adiunctis dant nomina, animumque. Hos sequuntur qui negotijs sese implicant, quę parùm cum orationis exercitio commecij habent. Negotiatores enim etiam non iniusti, sæpè quæ salutis sunt negligunt, rarò verbum Dei audiunt, post graves lapsus difficulter resurgũt; finis sui, & Creatoris sæpè sunt immemores. Sunt & alij qui officia ac ministeria obeunt in quibus sine peccato, vel suo, vel alieno versari haudquaquam possunt, quales caupones, militum duces, palatini qui principum auribus serviunt, & similes. De his Salomon. *Duæ*, inquit, *species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt*: *Difficilè exuitur negotians à negligentia, & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.*

Occupationũ aliæ turpes aut periculosæ 1. 2. 3. 4.

Eccle. 26 28.

Nulla, *fides pietasq; viris, qui castra sequũtur,*
Et *exeat aula qui volet esse pius.*

Arsenio Arcadij & Honorij Imperatorũ pędagogo, vox cęlo delapsa insonuit. *Arseni, aulam fuge si salvari vis.* Graves enim in hisce

occurrunt occasiones persępè, quibus obsisti vix, & ne vix quidem sine peccato potest.

Temporales. Harum aliqua 3. Temporanearum occupationum aliæ necessariæ, aliæ vtiles, alię superfluæ. Necessariæ sunt, quibus vitam ac familiam sustentamus. Eæ quoq; quæ nobis ex officio incũbunt, quæq; omitti non possunt sine violatione officij, necessarię reputantur.

1. Necessaria. 4. Vtiles sunt ambulationes, conversationes honestæ, cõtractus, mercimonia, exercitium artium mechanicarum in bonum familiæ aut reipublicę adhibita moderatione.

2. Vtiles. Vtręq; tamen ad salutem nihil prosunt: nisi cum vi rtute coniungantur, vt si ad Dei honorem, ad caritatem proximo impendendã; ad finem alicuius virtutis supernaturalis referantur. S. Paula pauperum pedes lavabat, eis opitulabatur & maximè infirmis quo in genere Sanctorum quàm plurimi sese exercuerunt.

3. Superflua. 1. Secularium. 5. Superfluæ sunt quæ solùm ad lucrum & splendorem vanum adhibẽtur, vt qui sumptuosą ædificia, hortos, fontes, vivaria infinitis sumptibus ad oblectationem tantùm excitant. Hæc omnia nihil promovent orationis negotium, obsunt verò quàm maximè atq; adeò periculosas esse huiusmodi occupationes Christi Domini excellens illa parabola declarat; vocati namq; ad cœnam regni

Luc. 14. 18.

cælestis

cælestis, cæperunt simul omnes sese excusare; primus quidem quòd villam emerit; alius quòd iuga boum emerit quinque: deniq; tertius quòd vxorem duxerit,& ideò nõ possit venire. Ad hæc homines facilè impelluntur specie vtilitatis & commodorũ. Vtinam infinita exempla non suppeterent.

6. His accedunt occupationes, quas viri spirituales,& religiosi in curandis augendisq; rebus temporalibus (quibus longè magis incumbunt, quàm Deo) sibi vsurpare solent. Nihil præclarè actum quod eorum manibus, ac iudicio perfectum non sit. Fit quidem subinde, vt fidis hominibus careant, quibus res credant. Si tamen onus partiri possint, expedit sanè curam suæ salutis ac perfectionis, temporalibus negotijs, ac opibus quæ pereunt, anteferre. *Quid enim prodest homini, si vniversum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ? Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est.* Corvus ex arca emissus ad arcam non redijt: redijt columba virentis olivæ ramum in ore referens. Malè sibi consulunt, qui ex tabernaculo Domini, seu arca suæ cõscientię egressi, per mundi huius ac negotiorum fluctus effundunt sese, nunquã aut rarò ad tabernaculum Domini revertentes. Hi nimirum sæpè absorbentur ab aquis diluvij,

2. Religiosorum improbãtur *Matth. 16.26. 1. Timo. 4.8. Gen.8.7*

 spiritumq;

ſpiritumq; in primis, & fortè temporalia omnia amittunt, ſeroq; lamentantur miſeriã, & calamitates, quas curâ, & ſolicitudinibus ſuis mercati ſunt. Ad arcam ſæpe regrediendum cum columba: & egreſſi pacem conſcientiæ, ac animi tranquillitatem nobiſcũ ferre memores, extremis tantùm pedibus aquas negotiaq; huius mundi attingamus; non mergamus animos noſtros, noſq; magis amicis, proximiſq; ac rebus gerendis commodemus, quàm dedamus; mutuemus quã largiamur.

3. *Spirituales quadam.* 7. Spiritualium occupationum aliæ ad ingenium tantùm pertinent, aliæ ad pietatem: & hæ quidem vel moderatè ſuſcipiuntur, vel immoderatè. Spirituales occupationes quæ

1. *ad ingenium pertinentes.* è naturæ fontibus oriuntur, ſunt quæ ab artibus profluunt; quales perſpectiva, mathematica, arithmetica, philoſophia, & multæ aliæ ſcientiæ ſpeculativæ, quæ totam hominis

1. *vt ſcientia ſpeculativa.* mentem occupant, ſibiq; vendicant. Hæ etſi inſtrumentum quo ſpiritualia tractamus, expoliant, atq; exerceant ad functiones internas clariùs eliciendas; pietati tamen vehementer obſunt, ſi ſine modo vſurpentur: nec

2. *Etiam ſacra ſubinde orãti obſunt* hæ ſolæ, ſed & ſtudia rerum divinarum, quæ tantummodo ad ſcientiam acquirendã aſſumuntur. Eſt enim intellectus prima animi noſtri ianua, nihilq; in animum invehitur, *Apta ſimilitudo.* quod non ab eo diſcutiatur, qui ſi ſibi cuncta retineat, nec ad arcem primariam hominis

interni

interni, quæ voluntas est, quicquam transmittat, ieiunus animus remanebit, & egestate cõficietur, vti in civitatibus fieri videmus, vbi à ianitoribus, res quæ importantur, retinentur.

8. Occupationes spirituales eæ censeri possunt quę ad salutem propriam ac proximi, aut certè ad Dei optimi gloriã spectant, etsi corporis vtamur ministerio; quales sunt eæ quæ ex vi spiritus cõcepti promanãt, vt cõcionari, cõfessiones audire, ignorãtes erudire, peccatores ad meliorẽ frugẽ reducere, atq; alia opera misericordiæ, quæ spiritualia vocantur. His nõ absimiles sunt omnes virtutum functiones, imò & rerum indifferentiũ, si modò ad finem supernaturalem referantur. A spiritu enim Dei hæc procedunt, à quo res spirituales nomen meritò sortiuntur. 2. *Spirituales occupationes ad salutẽ pertinentes.*

9. Huiusmodi officia spiritualia & multò magis reliqua iam explicata, si immoderatè suscipiantur, orantis animum affligunt, sensumq; pietatis atq; attentionis exsugunt. Accedit internum hominem ab instrumento, corpore nempe infirmo, in functionibus suis dependere: quòd si corpus imbecille plùs æquo fatigetur, & eius vires tanquam acies retundãtur, obtusiores fore eius operationes; & asinus tandem sub onere fatiscet, nec facilè erigi ac roborari, magno sanè spiritus detrimento poterit. *Occupationes immoderatæ nocent.* 1. 2.

10. Inter alias verò immoderationis partes cura

cura & solicitudo nimia aut rerum temporalium, aut anxietas ea munia explendi, quæ à superioribus iniunguntur, in postremis nō sunt reponendę. Hinc Apostolus *nihil*, ait, *soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deū*. B. item Petrus nos monet omnem solicitudinem proijciamus in eum, *quoniam ipsi est cura de nobis*. Pro virili ea quæ nobis incumbunt, si perficiamus, nihil à nobis exiget Dominus aliud: nec prudenter superiores exigere possunt. Expedit quoq; nobis persuadeamus, nos esse servos inutiles, parùm ad magna idoneos, & in gazophilacium duo minuta tantùm posse reponere. Cætera si Deo cōmittamus, benè, quieteq; nobis eveniēt. Ita nobis suadet Rex Sāctus. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto*. Et hæc quidem de occupationibus eorumque remedijs dicta, sufficiant.

Philip. 4. 6. — *1. Pet. 5. 7.* — *Psal. 54. 23.*

SECTIO NONA.

De distractionibus tertij generis, quæ dispensatione divina proveniunt.

Distractiones divina providentia 1. HActenus discussimus, quę, & quales distractiones animi à naturę defectu; quę ex vitio nostro promanant. Tertia causa inuestiganda iam venit. Cùm, enim

Dominus

Dominus ipse sit Deus, & det auxilia sua *permittit* quibus placet; & rationibus suis ęternis ni- *ob causas* xus quibusdam locupletissimè largiatur; quibusdam eadem subtrahat; cũq; sine eius ope, nihil possumus boni, vel cogitare quidẽ; clarum est, si Dominus sese à nobis subducat, nobis cum psalmographo dicendum: *anima* *Psal.* 142 *mea sicut terra sine aqua tibi.* 6.

2. Constat verò benignissimum Deum, & patrem nostrum, qui novit, quid cuiq; expediat, iustissimis rationibus, solatia sua, ac devotionis sensũ subinde subducere, teste Rege sanctissimo. *Ego dixi in abundantia mea, non* *Psal.* 29 *movebor in æternum*: & adiungit. *Avertisti faciẽ* 8. *tuam à me & factus sum conturbatus.* Hoc pul- *De luct.* cherrima similitudine Climacus declarat. c. 7. *Abscondit seipsam*, inquit, *infantis mater, quem si viderit anxiè inquirere, gaudio afficitur, sicq; illũ instruit adhærere iugiter, affectumq; infanti altiùs imprimit; eumque ad se amandum ardentiùs invitat.*

3. Causę & coiecturę aliquæ adferendę sunt. *Iudicia* Prima ad inscrutabile iudiciũ Dei referenda *Dei* est. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ,* *Isaiæ* 55. *neq; viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus: quoniã sicut* 8. *exaltãtur cæli à terra; sic exaltatæ sunt viæ meæ à* *Rom* 11. *vijs vestris. Quis enim cognovit sẽsũ Domini aut quis* 34. *consiliarius eius fuit?* Ipse enim Dominus est, & nemo ei dicere potest. Quare hęc facis? Scrutatur etiam ac novit corda hominum, &

quid

quid cuiq; conducat, quid mereatur perfectissimè cognoscit. Denique Rex Regum est nihil sine causis iustissimis agit, nititurq; ęternis rationibus, quas qui scrutari nitatur opprimetur à gloria. Pię tamē mētis est, de Deo sētire in bonitate, & cum omni reverentia de eius providentia iudicare, ac loqui. Quis ei carior vnigenito filio suo? tamen ijs temporibus, quibus summa consolatione, atq; auxilio indigebat, se derelictum profitetur; nempè cum in horto orationem facturus dicebat Apostolis suis: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* & in sacrificio cruento exclamat. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Si filium dilectissimum, qui & naturę conditione, & virtutis merito, solatia, auxiliaque de cælis sufficienda exposcebat, dereliquisse benignissimus pater dicatur; nec id fecisse vllo modo credi potest sine iustissimis rationibus: quid miramur, si subinde derelinquimur, & anima nostra arida & ieiuna remaneat. Solēt tamen causę ipsæ, quę cū res fiunt, incognitæ sunt; successu temporis sese explicare, ac manifestare. Atque in hoc sapientia Dei oculis mortalium elucet quàm maximè, & eos in admirationem, confidentiam ac amorem impellit,

Mat. 26. 38. *Mat. 27. v. 46.*

2\. 4. Altera causa, vnumquemque nostrûm attingit, aut bonum vniversi, quod ordinariè privato anteponi necesse est; Nam & varietas

ob nostrū profectū

tas illa, quę in providentia cernitur instructioni communi inseruit, & ex detrimento, ac calamitatibus privatorum, damnum quod publicæ rei imminere aut accidere potest, metimur. Subtrahit ergò non rarò orantibus solatia sua, vt de se, viribusq; suis quisq; cognoscat, & iudicet pro veritate, & tantæ maiestati elatos animos subijciat. Nimirum superbi, elatiq; natura sumus, & nobis arrogamus, quæ à nobis non habemus, sed ab eo *qui dat omnibus affluenter*: Et is nos vult esse humiles, & cognoscere, quod hęc à nobis non proveniant, sed à se, vt discamus ad eũ recurrere, & in animi submissione, ac gratitudine permanere: Ideò Apostolus Petrus ita nos hortatur. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in die visitationis suæ.* Nempe devotionis sensus thesaurus ingens est, furibus illum Deus non committit. Fures sunt superbi, qui gloriam Dei detrahunt, sibiq; adscribunt. Humilibus vt pote fidentissimis Deus thesaurum hunc facilè credit; nec enim quidlibet sibi vsurpabunt, sed fidelissimè cum timore ac tremore depositum custodient. Hinc verissimè dictum ab Apostolo. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Humiliationis ergò ac submissionis causa, gratia nobis subducitur.

Iac. 1. 5.

1. Petri 5. 6.

1. Petri 5. 5.

5. Tertia à Beato Bonaventura purgationis dicitur. In duobus verò purgatio illa consistit, vt affectum

3. Ad purgandum

1\. vt desidia, ac neglectus Dei quęrendi absterBonav. gatur; & in oratione otiositas, tepiditas, culibr. de riositas, & similes defectus exterminentur. process. Quid mirum si filio, mater vbera non offerat religio. cum ille ad ea nō aspiret? Si segniter & ignapro. 7. c. viter papillas exugat? Deum sanè invenies 21. si modò in toto corde exquisieris eum. Al2. terū quod purgari debet, est ingratitudo, qua sæpè laborat qui devotionis sensu afficitur: & auctorem beneficij nō agnoscit: vt si filius cibo se refici reputet, eique soli refectionem acceptam ferat; à patre verò nihil beneficij accipere profiteatur. Idcircò panem hunc cælestem bonus pater subtrahit, vt filius cognoscat si panis sapidus sit, nō à pane saporem, sed à Patre cælesti immitti.

6\. Quarta causa ad eruditionem pertinet. 4. Erudi- Quidquid enim sit, multa nobis, meritisq; tionis nostris ascribimus, difficileq; est mentem omni errore exuere, eaq; opinione imbuere; qua credamus ac fateamur soli Deo tribuendum, quicquid perfectionis, solatijque spiritualis possidere nos cernimus. Hinc Iac. 1. 17 Apostolus Iacobus. *Omne datum optimum, &* Ioan. 15. *omne donum perfectum desursum est, descendens* Ioa. 1. 3 *à Patre luminum. Et sine me,* ait ęterna Sapientia, *nihil potestis facere. Et sine eo factum est nihil.*

5\. Indiscre 7. Accedit alia ratio quā Deus castigat intionis. discretionem nostram. Nonnulli enim plùs

conantur

conantur quàm valeant. *Vnicuiq; autē nostrū, data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.* Cùm autem bonū aliquod opus exercemus, illud à duplici causa procedit: à nobis quidē apparēter; sed opus illud duas requirit occultas quasdā primæ causę cooperationes; vnam naturalem, qua Deus generatim (vt auctor naturę) concurrit ad omnia opera, quæ natura suis viribus exercere potest. Alteram supernaturalem in operibus virtutum. Impossibile enim est, sine auxilio supernaturali opus meritorium efficere: Auxilium verò illud certo gradu, atq; intensione constat: sicut in rebus naturalibus qui pollet viribus ad onus ferendum decem pōdo tantū, ad conficiendum vna hora tres leucas, non feret onus mille pondo, nec vna hora trecentas leucas decurrere poterit; Ita qui auxilij supernaturalis gradus habet decem tantùm, fallitur si elicere statuat actum intensū gradibus 40.; quia causę secundæ vires, eò non pertingunt, eiq; prima non respondet, & succumbit natura, cui gratia ęqualiter non opitulatur. Hinc fit vt quidam zelum habentes sine scientia, ieiunijs intempestivis corpus enervent; intēdant ingenij nervos in attentione procuranda; tamdiu orationem producunt, donec spiritus vitales exhauriāt, & inutiles maneant, nihilq; pōstmodùm à natura, quæ instrumentum operationum di- Eph.4.7.

divinarum est obtineri possit. Exprimere hi volunt vi devotionem magis, quàm è cælis adsciscere, atq; haurire. Luût verò profectò temeritatis, atq; impudentiæ suæ pœnas, dum sine consilio, ac patrum spiritualium directione plùs attentant conanturque, quàm per vires corporis & animi, auxilijque spiritualis valeant.

6. 8. Sexta causa ex paterno Dei affectu procedit, qui nobis merendi occasionem præbet locupletem. Cùm enim anima iam se derelictam agnoscit, cęlum pulsat, desideria accendit, sese omnium mortalium infelicissimam denuntiat; Dei maiestatem reveretur; spem excitat, & ad placandum Dominum, quem offensum credit, omni ratione sese convertit. Ex quo sequitur, & augeri gratiã hoc insigni conatu, & coronam in cælo parari nobiliorem, atq; auctiorem.

9. Probat deniq; quos diligit amantissimus

7. Dominus, & explorat an à nobis diligatur.

Probationis. *Sunt enim qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Itaq; visitat nos & consolatur

Luc. 8. 13. amicâ, blandaq; visitatione, & subitò probat eosdem, subtrahendo blandimenta paternæ benevolẽtiæ. Quòd si destitutos solita hac gratia ac solatio, nihilominùs cõstãtes nos invenit, & ad eius nutũ paratos: tum demum probata virtute nostrâ, maioribus nos beneficijs afficit, & priores favores, novis

beneficijs

beneficijs accumulat. Qui verò solatijs destituti animum abijciunt, non Deum, sed sese ipsos quæsivisse, testatum faciunt. Hi ergò consolationem merentur, qui probati fideles inventi sunt; & cum Beato Iobo dicunt. *Iob. 1. 21* *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.* Hęc de distractionibus pauca sufficiant.

TEXTVS QVINTVS.

Et dabo tibi.

Dei promissiones esse conditionatas: Orationi esse iungendam mortificationem.

HActenùs quæ textus verba præcesserũt conditionem continent, quam indicat sequens copula (*Et*) Dei namq; sensus is esse videtur, vt Moyses omninò in montem conscendat: si pareat; in eo, Deũ statuisse, ei dare tabulas lapideas, & legem & pręcepta quibus populum instruat. Voluit item Dominus Moysem, laborem ascensus suscipere, & ni faceret; ei ipsi minimè daturum legem, & præcepta tradenda populo. Hoc ipsum ergò particula (*Et*) denotat, vt cognoscamus: imprimis verum esse, quod Concilium Tridentinum statuit, conditiones vitę æternæ esse conditionatas, non absolutas. Neque enim *Promissiones vita æterna esse conditionatas,* *absolutè natas*

Matt.19 absolutè omnibus vita æterna promittitur,
18. sed legem Dei servantibus. *Si vis ad vitam*
Deut. 28 *ingredi serva mandata.* Maledictio verò in le-
15. gis divinæ trangressores diversis scripturæ
Lev. 26. locis fulminatur.

15. 2. Nec mirum, nam & promissiones rerum temporalium conditionem adiunctam habent. eamq; Dominus sæpissimè expressit: *propterea* (ait Dominus Deus Israel) *Loquens*
1.Reg. 2. *locutus sum, vt domus tua & domus patris tui* (nẽpe
30. Eli sacerdotis) *ministraret in conspectu meo vsq;*
Leu.26. *in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: absit*
Deuter. *hoc à me: sed quicumq; glorificaverit me glorificabo*
28. *eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Multa in hanc sententiam refert Moyses in Levitico & Deuteronomio.

3. 3. Nemo censeri poterat de populo Dei,
Mediorũ qui oblatas conditiones respueret. ait enim
ad salutẽ Dominus. *Si ergò audieritis vocem meam, &*
1. *custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium*
exod.19. *de cunctis populis. Mea est enim omnis terra.* Si-
5. militer nemo ascribitur populo Christiano,
2. qui cõditionem non observet à Christo Do-
Marc.16 mino præscriptam. *Qui crediderit & baptizatus*
v.16. *fuerit salvus erit; qui verò non crediderit, condem-*
Ioan.13 *nabitur.* Item Dominus Petro. *Si non lavero*
8. *te, non habebis partem mecum.*

3. 4. Quare vt finis vltimus, conditiones annexas habet; ita & salutis præsidia absolutè non promittuntur, nisi ea præstantibus, quæ

à legis-

à legislatore exiguntur. Lugentibus & pœnitentibus promittitur consolatio, & oblivio præteritorum delictorũ. *Beati qui lugent; quoniã ipsi consolabuntur. Si autem impius egerit pœnitentiam vita viuet.* Vincenti præmium promittitur. *Qui vicerit*, ait Dominus *possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Et, si vos manseritis in sermone meo, veri discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatẽ, & veritas liberabit vos.* Vbiq; conditio apponitur, Cumque multis in rebus Dominus conditiones adijciat, tum maximè in obtinendis donis cælestibus, alijsq; ad hanc, futuramq; vitam opportunis ac necessarijs. *Si manseritis*, ait, *in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumq; volueritis petetis, & fiet vobis*; non fiet nisi petatis. At etiam exigo, vt vos in me maneatis, & verba mea in vobis permaneant, Id est & caritatem Dei retineatis in vobis, & eius voluntatem præceptaque expleatis. Vis tentationes superare? tibi orandum est. Ita mãdat Dominus IESVS Apostolis. *Orate, vt non intretis in tentationem.* In eandem sententiam Ecclesiasticus. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.* Quapropter si impius ad iustitiam reverti cupit, necesse est vt oret; & submissè delictorum veniam petat; alioquin

Matt.5.5. *Ezec.18.22.* *Apoc.21.7.* *Rom. 8.17.* *Ioannis 8.31.* *Ioan.15.7.* *Matth. 26. 41.* *Eccl.3.4*

in impietate sua morietur. Petit iustus
Iacob. 1. 5. Sapientiam, ait Iacobus. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur ei; postulet autem in fide nihil hæsitans.* Nihil ergò sperandũ est à Deo obtineri posse, sine orationis subsidio.

5. Hoc ipsum textus noster mysticus nobis proponit, *Ascende in montem.* Eleva cor tuũ, oculos attolle ad cælum; in orationis monte contende, vim & conatum omnem adhibe, arduum hunc ascensum supera, teque illic siste, & persiste; non enim statuit Dominus tibi quicquàm conferre extra montem; nõ in vallibus voluptatum salebrosis; non in terrestrium desideriorum colluvie; sed in monte, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo,* & nisi illic fueris, orationis fructus percipies nullos.

6. Altera quoque conditio hic includitur in ascensu. Difficilis enim est, & molestus. Optimè conveniunt, & in vna sede morantur oratio & mortificatio. Iunguntur enim pænè hæ sorores duæ, quarum vna, onus, sarcinamq; ex orantis humeris excutit; & in ascensu debilem adiuvat; altera contendit vt ad montem perveniat, & læta, beneficia percipiat. Friget vtraque, si altera cum socia non dormiat. *Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus? Sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterũ eadem faciens, quid proficit*

Eccl. 34. 30.

proficit humiliando se; orationē illius quis exaudiet? Isaias quoque. *Cum extenderitis*, ait, *manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentijs vestris insumatis.* Deest hic sororum altera, nimirum mortificatio, ideò oratio solitaria reijcitur, quæ comitata exaudita fuisset. Beatus Ignatius addictum fratrem orationi magni faciebat : pluris tamen osorem sui, strenuumq; passionū suarum domitorem; sed qui vtrūq; pietati nempe studium abnegationis suiipsius copulasset, hunc demùm virum esse censendum statuebat; à quo magna speranda, expectandaq; meritò posse viderentur. *Ascende ergo in montem, & esto ibi, & dabo tibi tabulas lapideas, & legem & præcepta, quæ ego præcipio tibi, vt doceas eos.* Hactenus de particula (*Et*)

Isaiæ 1. 15.
Iacob. 4 3.
Maphens lib. 3. vitæ eius c. 2.

SECTIO SECVNDA.

Dabo tibi.

Oranti certa promittuntur.

1. INvitat nos Dominus ad orandum. Res sanè magna; non quam Deo tribuimus; sed beneficium ingens quod nobis impertit. Quid enim nobilius tantæ maiestatis famili-

aritate? Quid vtilius fructu ex ipsius cõversatione manante? Quid iucundius quàm ad eum, accessum habere; in quo deliciæ omnis generis cumulatissimè reperiuntur? Ergò vel semel tota vita ad colloquiũ illud admitti pluris est, quàm pretium totius mundi acquirere. Patet via; accessus nulli præclusus; & quòd summum est, summus ille monarcha nos invitat ad beatum hunc congressum. *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, &*

Matt. 11 *onerati estis, & ego reficiam vos.* Dicebat & pa-

29. rabolam ad illos: *quoniam oportet semper orare,*

Luc. 18. *& non deficere.* Nec modò invitat, sed & consi-

1. derans infirmitatem ac socordiam nostram, mandat, imperat, vrget ne fortè ab adversario opprimamur ac circumveniamur. *Oportet*, inquit, *semper orare, & non deficere.*

2. Verùm dicet aliquis. Certus non sum, an accepturus sim quippiam, si rogavero. Id ipsum est quod modò nobis tractandum est, de certitudine nempè præmij, deque fructu multiplici, quem orationis hortus amœnissimus producit. Atque inprimis certus esto, quòd qui promittit, non fallet: & quod promittit, non subtrahet. Credis hoc? O ne dubites; credis primæ veritati, quæ decipi, de-

Num. 23 cipere, mentiri, nec vult nec potest. *Non est*

19. *Deus quasi homo vt mentiatur: nec vt filius hominis,*

Rom. 3. *vt mutetur. Est enim Deus verax, omnis autem*

4. *homo mendax.* Iuranti homini, fidem adhibes;

Deo

Deo negabis? at iuramentum interponit, & cùm per maiorem se iurare non possit, per semetipsum iurat. *Amen, Amen dico vobis; Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* Propterea dico vobis, *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* Credis amico, cui tecum pactum intercedit; & tu Deo non credes? Certè Iudæi promissa Dei susceperunt: & tu hoc pactum amplectere. *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel, post dies illos dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam ea; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Sed à textu nostro non recedamus. *Ascende in montem, & esto ibi.* Quid facies domine? *Dabo tibi.* Promittit Dominus orantibus multa, & magna, & præclara. Itaq; constat nobis de certitudine promittentis: videamus benignitatem largientis.

Ioan. 16. 23.
Marc. 11. 24.
Ieremiæ 31. 33.

SECTIO TERTIA.

Dabo tibi.

De fructibus orationis, qui dispositioni orantis respondent.

1. CVm immẽsa sit Dei liberalitas in omnes; tum etiam beneficijs, nõ tantum non merita nostra exæquat; sed & vbertate quadam largiendi, benè de se merentibus,

Quadruplex in oratione fructus

iuxta ac immeritis, copiosissimè dona sua profundit; vbi præsertim vel minimam dis-
Psal. 9. 17. positionem animadvertit. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* ait Rex sanctus; *præpa-*
Psal. 31. 5. *ratione cordis eorum audivit auris tua. Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*
Isa. 65. 24. *Eritq; antequàm clament, ego exaudiam. Adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Ex quibus quadruplices fructus orationis nobis licet decerpere. Nempè
Ante orationem qui ante orationem, in oratione, & fine orationis; atque adeò qui in futuram vitam redundent. Fructus, qui orationem præcedit, ille est, quem sese disponentibus Dominus tribuit. *Venit Simeon iustus, & timoratus in spiritu*
Luc. 2. 25. *in templum.* Felix oratio ad quam spiritu deducimur. Ascendit Pharisæus in templum, vt se laudaret, abijt inanis. Ascendit Publicanus, vt oraret, & reipsa feliciter peroravit: deniq; *descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.*
Luc. 18. 14. Hic fructus ijs debetur, qui distractionum fontibus obsistunt, & sese ad orationem disponunt. *Dimidium facti, qui benè cœpit, habet;* & qui obstacula orationis removit, finem propemodùm assecutus est orationis.

Orationis vtilitas duplex. 3. Cùm autem de fructibus orationis loquimur; sciendum est, duplici modo nos in oratione vtilitatem posse percipere. Petimus enim à Deo quippiam (in eo quippe potissimùm natura precationis consistit) vt qui
1.
2. petit

petit panem, sanitatem, cordis compunctionem: si hæc obtineat, finem petitionis suæ adeptus est. Verùm nobis multa in oratione communicantur, quæ ex professo non exprimimus; imò ne cogitamus quidem subinde; quales illustrationes mentis, cogitationes generosæ rerum suscipiendarum; singularis sensus devotionis; virtutum variarum concurrentium ad orationem incrementum: deniq; gratia, orationem nostram reverẽter, attente, humiliter, efficaciter peragendi. Hæ gratiæ & multę aliæ, sępè orantibus accrescũt, atq; subveniunt præter effectum petitionis particularis rei, quam obtinere intendimus. Ex quibus conficitur, fructum, qui initio datur orationis, aut singulari Dei benevolentiâ provenire; aut certè dispositionibus præmissis respondere.

4. Alter fructus decursu orationis percipitur. Incalescit enim qui orat, & dum ad ignem divinum accedit, eiusdem calorem induit, & in ignẽ transformatur. Quis multiplices illic fructus numerabit? Si enim totã nostram perfectionẽ in virtutum vsu atq; exercitio ponimus; si fidei aut spei aut caritatis, vel vnum actũ ad cęlos vsque extollimus, vtpote, cui æterna merces ac beatitudo tribuetur. Quantas opes ac divitias (addam & delicias) percipiet is, qui cum Deo loquitur? quo in exercitio, virtutum omnium actus exercere

2. *In orationis decursu.*

In oratione omnium virtutum exercitium requiri.

exercere necesse est; fidei nempe quo supremum illud numen orans agnoscat: spei quo audeat ab eo quippiam postulare, atque expectare: caritatis, quo eius benevolentiā sibi conciliet; timoris, ne ab eo descifcat; humilitatis, quo sese illi subijciat; gratitudinis quo se beneficiorum testetur memorem; fortitudinis, vt animum ad eius honorem tuendum ac promovendum paratum ostendat; denique obedientiæ, quo in omnibus voluntatem suam divinæ conformet. Hæc profecto magna sunt, & quę in oratione percipiuntur admiranda, vel explicari non possunt, vel qui percipiunt humilitatis ac modestiæ causa, contegunt.

3 *In fine orationis.* *Eccl. 7. 9.*

5. Tertius fructus in fine orationis emicat. Non frustrà namq; Sapiens: *Melior est finis orationis quàm initium*: sicut qui è mensa opipara surgit longè melius habet, quàm cùm initio famelicus accumberet. Depulit enim famem & sitim; debilitatis, ac fatigationis molestię remedium attulit, spiritus restauravit, lętitiamq; animę invexit: Sic & qui vtiliter apud Deum peroravit, læto convivio cum Deo epulatus est, ariditatem fugavit, debilitatas vires restituit, novas addidit. Denique in fine orationis roboratus animus promptior est ad divinum obsequium, ad parendum superioribus, ignoscendum proximis, ad caritatem etiam inimicis, ac benevo-

lentiam

lentiam præſtandam; fugienda peccandi
pericula; progreſſum in virtute faciendum:
adverſa ad extremum ſpiritum vſque in via
divini ſuſtinenda. Omitto propoſitum diur-
num vitij alicuius ſuperandi, aut virtutis ac-
quirendę; exercitia quędã interna, ſoli Deo
hominiq; cognita, quibus tanquàm admini-
culis Chriſtianus miles ad hoſtes vincendos,
cælumq; expugnandum accingitur. Non
benè oravit qui hæc non comparavit.
6. Addi poteſt, & quartus. Hæc enim quæ
attulimus, hominem ſic Deo gratum reddũt,
magis vt cum idoneus evaſerit divina clien- 4.
tela, ac protectione in futurum muniatur.
Quò enim perfectior eſt, & gradibus ampli-
oribus Deo propior accedit; eò dignior eſt
Dei amore, viſitationibus, auxilijs excitan-
tibus, adiuvantibus ſubſidijs, ſingulari cuſto-
dia; infinitiſq; alijs cæleſtis parẽtis favoribus.
Hæc omnia oratio perficit: fieriq́ue poteſt,
vt vno cum Deo congreſſu, precãti plurima,
Deus beneficia addicat, conferreq; ſtatuat:
quæ etſi inpręſentiarum oranti incognita
ſint, fructus tamen non diu poſt ſe prodit, vo-
taq́ue exaudita fuiſſe, tandem aliquando
cognoſcitur. Salomon vna precatione, &
ſapientiam adeptus maximam, & honores,
opes, ſplendorem, gloriam, conſecutus eſt,
quæ ne ſperare quidem potuiſſet. Anna &
fœcunditatem, & filium quem petebat obti-
nuit

nuit; sed sapientem filium, sed prophetam, sed regis populique directorem. Quid oratio Manassę valuit, sat patuit subsecutis annis. Quod enim Dominus orãtis humilitate permotus, supplicanti attribuit, id non revocat. Porro Triumphator Israel non parcet & pœnitudine non flectetur, *neque homo est vt agat pœnitentiam.* Atqui hi quatuor fructus nõ tam ad rem petitam, quàm ad dispositionem orãtis ac conatum pertinent.

1. Reg. 15. 29.

SECTIO QVARTA.

De fructibus, orantis petitioni respondentibus.

Petenda inprimis Dei gratia duplex.

1. PRimum quod in oratione petere convenit, est Dei gratia, qua & eum diligimus, & omnia nostra opera purè, sanctèq; peragimus. Est autem hæc gratia in duplici differentia. Vna *actualis* dicitur; *habitualis* altera. Prior iustis & iniustis communis est; posterior in solis Dei amicis invenitur. Gratia *actualis* in mentis illustratione, motione voluntatis, protectione à lapsu, & ne executio boni propositi quovis modo impediatur; in auxilijs atque adminiculis ad perficiendũ opus conceptum, opportunis: denique in cooperatione, perfectioneque operis suscepti consistit. Huiusmodi gratijs peccatores vocantur ad pœnitentiã, & sensim progredientes

1. Actualis.

tes iustitiam assequuntur. Datur hæc gratia subinde sine vllis meritis nostris, ne petentibus quidem, imò perperam agentibus. *Venit enim Christus Iesus in hunc mundum peccatores saluos facere, & non venit vocare iustos sed peccatores.* Datur & iustis vel gratis, vel petentibus, vel etiam pro ratione meritorum cuiusque. 1. Timo. 1. 15. Matt. 9. 13.

2. Alia est gratia, quam *habitualem* vocant Doctores, hac carent impij. Propria est iustorum, qui caritate cum Deo copulantur. Huic coniunctæ sunt virtutes omnes, vt vera sit illa Sancti Regis testificatio. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis, circũamicta varietatibus.* Filia Regis est anima iusti. Ornamenta ac decor huius interna sunt. Varietatem virtutum cingunt & ambiunt fimbriæ aureæ, seu excellens caritas, quæ virtutes omnes complectitur, vestit & conseruat. Omnes hæ gratiæ oratione impetrantur ab omnibus, qui Deo amicitia cupiunt copulari. 2. *Habitualis.* Psal. 44. 14.

3. Orationis autem nomine, cuius magna vis est, multa concluduntur. Atq; inprimis eadem oratio, opus est prænobile in homine iusto, meritoriũ maioris gratiæ vitæque æternæ. Impetratorium instrumentum rerum omnium quâ nobis, quâ alijs opportunarum Pœnale quoque, atq; adeò satisfactorium. Est & in viris perfectis subinde supererogatoriũ, quod in bonum commune Ecclesiæ, & aliorum *Orationis vis quadruplex.* 1. 2. 3. 4.

orum

orum privatorum precantis applicatione derivari potest.

Fructus quintus. *Peccatū tria signi ficat.* 4. His suppositis quintus fructus orationis erit vt ipsa peccatorum à Deo remissionem impetret. Nomine verò peccati tria intelligenda veniunt. Culpa ac reatus: deinde pœna peccatis remissis debita: denique peccatorum reliquiæ, seu pravę affectiones, & propensiones ad malum. Trahit enim inveterata consuetudo peccandi, meritoque servitute premitur, qui se peccati subiecit tyrannidi. Trahit & perversitas naturę ac complexionis; perturbationum seu passionū impetus, aliiq; animi morbi; & ni præpediantur, sternunt ac demergunt hominem in interitum. His malis medetur oratio. Ita nos docuit morbis nostris quotidianis Christus Dominus medelam quærere oratione quotidiana, dicentes: *dimitte nobis debita nostra.*

Matt. 6. 12. *Lib.* 1. *de orando Deo.* De quo argumento eleganter Chrysostomus *Et si, ait, nos peccatis refertos precatio deprehēderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius aut divinius obtingere possit quàm deprecatio? Cùm hanc, animis ægrotātibus pharmacum quoddam esse liqueat. Quòd enim animam peccatis obnoxiam deprecatio facilè puram reddat, docet nos publicanus ille qui petiit à Deo remissionem peccatorum & impetravit. Docet & leprosus, qui simul vt procidit ad pedes Dei, mundatus est.*

Luc. 18. 13. 6.

Victoria tentationum. 5. Huc etiam spectant impugnationes, qui-

bus

bus ad peccatum nos dæmones pertrahunt. 6.
Arma & defensiva & offensiva egregia sunt, *Victoria*
ferventes preces. Ita auctore Christo Do- *tentatio-*
mino, iussi sumus precari: *ne nos inducas in num.*
tentationem; sed libera nos à malo. Si enim (vt *Matth.*
ait Chrysostomus) *nos dæmones conspexerint* 6. 13
deprecatione communitos, illicò resiliunt; non aliter Lib. 1. de
quàm prædones, ac facinorosi vbi conspiciunt militis orando
gladium in caput suum vibrari. Quòd si contingat Deo.
aliquem esse nudum precationis præsidio, hic avulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaque mala impellitur. Hæc Chrysostomus, & verissimè. Defectu enim orationis in varia vitia labimur; Deo ita permittente ad quem confugere cùm possumus, negligimus. Qui autem perpetuò vigilant, Deique præsidium expetunt, certiores internè fiunt de periculis, & tentationibus imminentibus; sicque adversarium fugant antequàm accessum ad eos habere possit, teste psalmographo. *Dedisti metuentibus te significationem: vt fugiant à facie arcus.* Tentatio sagitta est volans, & *Psal. 59.*
quidem in tenebris, & ex insidijs, quam vt 6.
effugias alterum è duobus est vitandum; aut enim subterfugere, ac divertere oportet telum adveniens; aut certè munire te armis probatis quæ retundere valeant aciem iaculi pestiferi: & sicut ventus fumum quantumlibet densum, solisque radios auferentem dissipat: ita oratio, dæmonis tenebrosos fu-

mos dispergit. Oratio enim spiritum sanctũ impetrat, cuius vis ac fervor, omnes nebulas mentem involventes, exterminat.

7 *Meritum gratiæ & gloriæ.* 6. Fructus septimus est, quòd oratio, vt est opus virtutis supernaturalis, mereatur augmentum gratiæ, & gloriæ. Hoc nobis Dominus promisit. *Tu autem*, ait, *cùm oraveris intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui est in abscondito reddet tibi.* Quid reddet? Si multus es, & devotè ores patrem tuũ, accessio magna fiet gratiæ, quam in te habes; & quia gratiæ mẽsuræ, mensura gloriæ respondere debet in cælis, certè non perdes mercedem tuam. *Mat. 6. 6.*

8 *Virtutũ augmentum.* 7. Alius fructus est, quòd & virtus ipsa orationis, & virtutes omnes quarum vsus intercurrit, tẽpore orationis, accrescunt. Nam in hoc meritum consistit, vt earum virtutum, quas exercemus habitus augeantur, atque intendantur iuxta fervorem, quem quisque adhibuerit. Chrysostomus verò vult, nullo virtutum exercitio, ita augeri internos habitus, vt contentione precationis. *Deo*, inquit, *magna cura est vt in virtute crescamus. Nihil autẽ æque facit in virtute crescere, atque assiduè cum Deo versari & colloqui, eiq́; perpetuò gratias agere & psallere.* *In Psal. 7.*

9 8. Accedit alius fructus orationis, quæ quia vim cõtinet impetrandi, procurat omnia, quę tũ vitæ spirituali, tũ corporali necessaria sunt.

Qui

 Matt. 7.
Qui enim dixit, *petite & dabitur vobis*, nō me- *Luc.* 11.
titur, *dabit spiritum bonum petentibus se*, : dat & 3 *Reg.* 17
panem quotidianum, quem emendicare nos 4 *Reg.* 20
iubet. Elias propheta trium annorum steri- *Dan.* 3.
litatem : pluviamque rursus & fertilitatem à *Dan.* 6.
Deo oratione obtinuit. Ezechias è morbo *Ion.* 2.
convalescit. Tres pueri in fornace illæsi Dei *Luc.* 18.
laudes prædicant. Daniel inter leones epu- 14
latur. Ionas è ventre ceti liberatur. Quid *Luc.* 23.
Publicanus evangelicus? peccatorum impe- 43.
trat veniam. In cruce distentus latro, para- *Act.* 7.
diso donatur. Mortuus denique Stephanus, in 41.
cælum suscipitur. 10

9. Oratio deinde impetrat gratias actuales *Gratiæ*
seu præveniētes, quales sunt mentis illustra- *actuales.*
tiones; cogitationes sanctæ: motus quibus *Mar.* 9
ad benè agendum impellimur, & ea auxilia 23.
quæ aliàs sufficientia tantùm forent, reddit *Luc.* 18.
efficacia. Talis fuit eius qui dicebat : *Credo* 41.
Domine, adiuva incredulitatem meam. Et cæcus rogatus, quid sibi vellet fieri : *Domine*, inquit, *vt videam* : Impetravit & visum corporis & mentis.

10 Impetrat & gratiam habitualem, quæ 11.
singulare ornamentum est animæ; vestis *Gratia*
qua filij Dei amiciuntur: pignus atque arrha *habitua-*
æternæ hereditatis: tessera qua iusti ab impijs *lis & om-*
discernuntur. Impetrat & consequenter vir- *nes virtu-*
tutes supernaturales omnes, quæ gratiam, ca- *tes*
ritatemq; sequuntur. Maria Magdalena orās

Luc. 7. 47. ad pedes Domini audire meruit, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Et vade in pace.* Acquisivit enim gratiam, & habitū virtutum omnium, quibus reliquo vitæ tempore viveret in pace. Porro ait Chrysostomus *Vitam piam ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat; conciliatam auget, ac ceu thesaurum animis nostris recondit.* In psal. 7

12. *Remissio pœnæ peccatis debitæ.* 11. Impetrat remissionem pœnæ peccatis debitæ. Vno enim subinde verbo rex pœnam inflictam solet remittere, ac satisfactionem debitam condonare. Hoc perficit fervens, & caritate plena oratio, de qua David. *Cor*, ait, *contritum & humiliatum Deus non despicies.*

13. *Satisfacit pro eadem.* 12. Vim quoque habet satisfaciendi delēdíque easdem pœnas, quę vel in hoc, vel in futuro sæculo sustinendæ, solvendęque forent: Orationem namque afflictio, pœnaque comitatur, plusque deprimit, non rarò, atque affligit vires corporis fervens, lacrymabūda demissaque deprecatio, quàm graves ac diuturnæ corporis afflictiones, quæ delendis pœnis peccatorum suscipiuntur, vel à Deo immittuntur.

14. *tollit peccatorum reliquias* 13. Tollit & reliquias seu pravas animi inclinationes, peccandi consuetudine contractas, ac prava naturæ propensione cōgenitas. Memores simus pręcepti illius à beato Iacobo promulgati. *Infirmatur quis in vobis, vocet presbyteros* Iac. 5. 14

byteros Ecclesiæ, & orent super eum, & oratio fidei salvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Talis oratio fidei, delet peccata si adsint; si verò culpæ, pœnitētiæ atque Eucharistię remedio sublatę sint; pœnæ peccatorum ac reliquiæ, precationis subsidio, absterguntur.

14, Orationis fructus, non solùm oranti prodest, sed toti in vniversum Ecclesiæ, nec non & privatis personis, pro quibus oramus. Impetrat enim eis gratias actuales, seu prævenientes, quibus peccatores à morte peccati resurgant: iusti in virtutibus progressum faciant; ab impugnationibus dęmonum; à periculis lapsus; à discrimine vitæ; à morbis; omnibus denique malis animi ac corporis vindicentur. Satisfacit quoque pro pœnis alienis Deo debitis, non modò in hoc mūdo, sed etiam in altera vita degentium. Quod sacrificijs à Iuda Machabæo procuratis factū legimus. *Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis solvantur.* Monet etiam nos Apostolus; *Orate pro invicem vt salvemini* Cur ita? Quia salutem impediunt peccata, quæ iustitiam præcedunt; at ea oratione expugnantur ac tolluntur. Iustorum pericula ac lapsus minores salutis sunt impedimenta. Oratio iusti illa exterminat. Pœnæ peccatorum ac perversæ inclinationes remoram ad perfectionem, & æternam vitam

15. Prodest Ecclesiæ et ijs pro quibus oramus

2. Macb. 12.

Iac. 5. 15

inijciunt. Hunc obicem decurtat, atque abſtergit oratio. Quapropter etſi textus noſter, tãtùm promittat oranti ſubſidium cúm ait, *& dabo tibi*, nihilominùs magna & prolixa Dei munificentia, non tantùm ſeſe intra promiſſos limites continet, ſed ſupergreditur vlterius, nihilque filio petẽti negare ſe poſſe demonſtrat.

16. *Facit orãtem à cubiculis Dei.* 15. Nec ſingularis hic fructus prętermittẽdus videtur, quòd orationis ſtudio deditus clavem auream regij thalami habeat. Quæ dignitas in aula regum primaria cenſetur. *Oratio* enim *humiliantis ſe nubes penetrabit, & non diſcedit donec altiſſimus aſpiciat.* Verùm abſentes à curia palatini, cubiculũ regis intrare non poſſũt; poſſunt cubicularij ſummi regis. Audiamus B. Auguſtinum luculenter hoc argumentum tractantem. *Clamavit* (inquit) *de profundo Ionas, de ventre ceti. Erat non ſolùm ſub fluctibus; verùm etiam in viſceribus belluæ: nec tamen illud corpus, & illi fluctus intercluſerunt orationem ne perveniret ad Deum; & venter beſtiæ non potuit tenere vocem deprecantis. Penetravit omnia, dirupit omnia, pervenit ad aures Dei, quando aures Dei in ore precantis erant.*

Eccl. 35. 21.

In pſal. 29.

17. *Delectationes ſpirituales.* 16. Omittendæ non ſunt voluptates ac delectationes ſpirituales, quas diviniſſimus ille cõgreſſus cum benigniſſimo patre conciliat. *exultationes & exaltationes Dei* in gutture orãtiũ & pſallentiũ. Certè qui cũ amico ſapiẽte loquitur

Pſalm. 149. 6.

loquitur, incredibilem animo capit voluptatem; non hauriet, qui cum Deo, Sapientiâ æternâ sermocinatur, psallit, & laudes divinas personat? Qui muscum tractat, odorem induit: qui Deum complectitur, atque intima conversatione ei coniungitur: nō induet eundem odorem, & voluptatem, qua beatos summa delectatione perfundit? Denīq; qui à rege libelli subscriptionem, quam optabat accepit, nonne magnam gaudij ansa nactus est? In oratione subscribit Dominus petitioni nostræ, & liberaliùs semper aliquid concedit, quàm aut petere aut desiderare possumus. Quare perspicuum est veram illā esse promissionem Moysi factam. *Dabo tibi.* Videndum modò: quid Deus daturus sit.

TEXTVS SEXTVS.

Tabulas lapideas.

Quæ & quales hæ tabulæ fuerint.

PRomittit Dominus Moysi, si ad montem ascendat, tabulas non chartaceas, aut libellum continentem præcepta, instructiones aut imagines aliquas: sed lapideas tabulas; nec etiam tabulas ex lapidibus humana arte, eodem in monte aut rupe quadā 18 *Tabulæ duplices* I.

desumptas. Sed vel Dei omnipotentia creatas, vel Angelorum ministerio excisas, easque affabrè & eleganter, vt decet tantum artificem, perpolitas; vt in ijs sculpi posset ea, quæ populo proponi Dominus mandabat. Et reipsa constat sculpta in eis esse digito Dei, id est operatione divina, legem & mandata: sed ne radi, delerique scriptum facile posset,
2. lapideas esse voluit. Has post idololatriam
Exodi 32 populi, Moyses indignabundus abiecit, fre-
19. gitque in partes: iussusque est novas è rupe
Exodi excidere, in quibus rursus Dominus Deus
34. 1. insculpsit decem præcepta, quę populo mādari voluit. hæc de sensu literali.

SECTIO SECVNDA.

19. *Exponuntur alij fructus orationis, & quidem inprimis bona hominis conscientia, eiusque conditiones.*

fructus conscientiæ mūdities.

Conscientia tabulæ duplici ratione considerāda

1. INter alios & quidem præcipuos orationis fructus, hic postremus minimè numerandus est, nempe conscientia eaque sana, constans, & egregijs lucis divinæ radijs, scientiaque cælitus missa illustris. At de his sigillatim dicendum.

Tabulę itaque istæ conscientia est, quæ duplici ratione considerari potest; vel vt solis
1. naturę limitibus circumscribitur; vel vt or-
2. namentis

namentis gratiæ cælestis nobilitatur. Tabula est perelegans, quocumque demum modo operantem artificem consideres: si tamen iniectam hominis malitiâ fœditatem excipias. Nam opus præstantissimum, & maximè honorificum Deo fuit, tabulã hanc ad imaginẽ, & similitudinem suam condidisse, in eaque faciem expressisse: adeò vt sicut summus ille artifex vivit, reminiscitur, intelligit, cognoscit, ratiocinatur, amat: Ita & homo natura duce hac via se exerceat, discernatq; inter bonum & malũ: & haud secus quàm summus legislator, lumine quodam divino, quid rectum, quid pravum, quid fugiendum, quid amplectendũ, cognoscat & dijudicet. Id est quod Rex David indicat cùm ait: *signatũ est super nos lumen vultus tui Domine; dedisti lætitiam in corde meo.* signatum insculptumque. At vbi? in tabulis cordis. Cor ergò tabulas habet. Et illa est conscientia, quæ duplici constat munere: cognitione, & libertate; scientia & veritate; lumine seu dictamine rationis, & propensione libera ad sequendũ quod iustum, rectumque ratio iudicat, & malum reprobandum. Hæc est tabula quam Deus cõdidit ac creavit; non parẽtes nostri, qui nobis corpus dũtaxat, vitamque contulerunt, tabulam sanè egregiè perpolitam, & Dei effigie impressa exornatam. Salomon dicit se mentem, animamque sortitum esse

Psal. 4.

Consciẽtia duo munera.

Sap. 8. 19.

bonam. Tabula hæc eſt. Sed vt in numiſmate duo conſiderari poſſunt; ex vna parte eſt imago : in altera ſuperſcriptio ; ſubinde in vtraque parte & imago eſt, & in circulo marginali ſimul ſuperſcriptio : idem in hac vſu venit, nam & imaginem æterni parentis, & legem dictamenque adſcriptum reperis, quod Regius pſaltes lumen vultus Dei nuncupat. Vultus imaginem exprimit, lumen verò rationem graphicè deſignat. Quàm pulchra facta eſt ô anima mortalium! O magne artifex quàm ſapiens es, & in ſapientia cuncta creas ac diſponis!

Gen. 1. 2. Verùm aliud addidit, non enim tantùm
27. has tabulas fecit ad imaginem ſuam, *ſed etiã ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, Verũ vnde ſimilitudo hæc petenda? Nempè ab eo, ad cuius ſimilitudinem creata factaque omnia.
Exod. 25 *Exemplar, illud eſt quod* nobis *in monte monſ-*
40. *tratum eſt*, vt nempè ſicut ille filius ſummi patris; ita & nos in filios adoptemur: & ſicut ſimilis, idemque cum patre eſt per naturam: ita & nos ſimiles ei ſumus, vnumque per
Joan. 1. gratiam. *Nos omnes de eius plenitudine accepimus,*
16. *gratiam pro gratia. Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Sanè tabula noſtra, etſi imaginem Dei habeat, naturaliter ſimilis eſt legi Moyſi, quę nihil ad perfectum adducebat: & in eius pulchritudine non pauca deſiderabantur; fuit tamẽ hæc

Iudæis

Iudæis magna gratia beneficiumque. Huic legi gratiam aliam Dominus suffecit longè nobiliorem; nempe, vt nos similes Filio redderet. Vt si quis imaginem artificiosissimè sculptam possideat, rem quidem se præclarã nactum esse lætari meritò potest: sed si aureis lineis, egregijsque coloribus illustretur, magna ad eius pulchritudinem dignitatemque fiet accessio. Regia forma est animæ rationalis, quę regis patrisque cælestis naturalem formam repræsentat. Vt si aureæ caritatis radij, si virtutum supernaturalium colores eximij accesserint, quàm formosa, quàm decora erit carissima amica sponsaque in Christi delicijs. *Cant. 7. 6.*

3. Hanc pulchritudinem, hoc decus, ac formam planè divinam sceleribus tuis, peccatorum tuorum sordibus polluisti, atque inquinasti ingratissimè homuncio. Quomodò splendorem pristinum, dignitatemque labefactatam, ei restitues? Hęc vna ratio, viaq; vnica, si eam aqua peropportuna ablueris. Dicit David pius Rex *Ampliùs lava me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me*, Hoc petit à Deo: A Deo inquam, *qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Ista prima est ablutio: sed & à nobis elui debent peccata nostra: & sine nobis non lavantur. Oratio lacrymas ciet, compunctionis est mater. Tabulam illam fœdis infectam ma- *Psal. 50. 4.* *Apoc. 1. 5.*

culis

Matth. 26.75. culis abstergit. *Et egressus Petrus flevit amarè*, suisq; lacrymis restituit pristinum splendorē conscientiæ suę, & à Christo amari meruit,
Ioa. 21. 17. pastorisq; vniversalis prerogativa honorari. Oratio igitur tabulas fœdatas reparat, & inductas à nobis maculas detergit.

20. *Consciētiæ rectitudo.* 4. Damna quædam alia hæc tabula accepit, quæ sensim restitui debent: qualia sunt ignorantia, error, infirmitas, propensio ad malum, incōstantia, & alij infiniti animæ morbi, qui non tolluntur nisi summo labore, lapsuque temporis. Ex his prodeunt conscientiæ errantes, dubię, scrupulosæ, timidiores: quæ miras in animum turbas invehunt. Tabulæ sanè nondum dolatę, politæ, levigatæ, indigent periti artificis manu. At magnus artifex Deus: congredere cum eo, vulnera tua ei
Psal. 50. 12 ostende; medicus est sanabit te. Dic ei: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum in-*
Matth. 11.29. *nova in visceribus meis*, Vocat omnes, qui laborant. *Ego*, inquit, *reficiam vos*. Tabula ergò hæc, vt integra sit, has qualitates habere debet, quibus Iobus à Deo commendatur.
Iob. 1. 1. *Quòd vir esset simplex, rectus timens Deum, & re-*
Consciētiæ bonæ conditiones *cedens à malo, & permanēs in innocentia sua.* Viri appellatione, constantia exprimitur: vt cōscientia non dubia, non scrupulosa, sed certa,
1. incōcussa maneat: sit simplex, non ingredi-
2. ens vias duas, in vtramq; partem claudicans;
Iac. 1. aliud in corde: aliud foveat in ore: vir enim duplex

duplex animo incõstans est in omnibus vijs suis. Recta quoque sit, non erratica & deficiens à rectitudine rationis: tenebras fugiat, quas amor sui, & perturbationum ęstus invehunt. Deum timeat, quod alterum pondus est rectitudini respondens. virtutibus enim simillima sunt quędam vitia. Et quicquid egerimus extrema semper fugienda; quęrendum tenendumque medium. Prima 1.
conditio fortitudinem indicat. Secunda 2.
simplicitas illam temperat, & æqua lance appendit. Tertia est rectitudo quę ne decli- 3.
net ad dexteram vel sinistram, timore Dei componitur. Quarta, ab omni malo consci- 4.
entia bona debet abhorrere; immò & minima quæque detestari; quòd animam maculent; quòd summo parenti displiceant; quòd rectæ rationi adversentur, quòd novorum de cælis beneficiorum influxum impediant. Quinta est innocentia. fieri enim 5.
potest vt malis immersi emergamus tandem Dei beneficio, & ab eis prorsus liberemur. Longè tamen maius est stolam primam retinuisse, & in innocentia permansisse. Has prę̨claras conditiones nõ aliter meliùs, quã orationis prę̨sidio assequemur, quæ lumen viresque sufficit, quibus hæc & cognoscamus, & complectamur.

SECTIO.

SECTIO TERTIA.

Tabulas lapideas.

Alij quinque fructus orationis.

1. *fructus Constantia in vocatione & proposito.*

1. VOluit Dominus lapideas esse tabulas, in quibus legem descripsit, ne facilè scriptura raderetur, aut ipsa subiecta scripturę materia corrumperetur, quæ tam pretiosum thesaurū contineret. Tabula hęc vt diximus est conscientia nostra, quæ longioris durationis est quàm lapideæ tabulæ. Nā & ipsę fractæ fuerūt; novæq; exscindendæ, ac priorum loco reponendæ fuerunt. Anima verò, quæ est legis æternę tabula; omnino est incorruptibilis, atque immortalis. Accedit & legem immobiliter eidem infixam adhęrescere: & quantumcumque densis tenebris peccatorum ac perturbationum obvolvatur: lex tamē illa, divinitus naturæ indita, evelli, extingui, funditusque deleri non potest. Denique constantiam à nobis Deus requirit vt non tantùm animæ essentia æterna, & immobilis sit: nec tantùm lex ipsa indelebilis, sed & voluntas hominis cōstans, inconcussa; invicta, immobilis remaneat. Vitę suæ commodis non parcat, non divitijs, non omnibus, quæ mundus proponere, continere, largiriq; valeat. Ita sponsa in canticis. *Fortis vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio: lampades*

Cant. 8. 6. 7.

fortitudinis & constantia laus

eius

eius, lampades ignis atque flammarum. Aqua multa non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Fortissima sunt mors, infernus, ignis & aquæ, fortiores morte tabulas has esse oportet, etsi mors millies immineat. Fortior animus contra scelerum pestes, vitiorũq; monstra omnia, non cedat, pergat, & adversa cuncta prosternat, vitamque exemplo sanctorum lubens prostituat. *mortis fortitudo ac vis*

2. Insatiabilis est infernus & nunquam dicit satis est. Zelus quoque animi, in quo lex divina conscripta est, incredibili ardore succendatur, vt Dei gloriam promoveat. Et nunquam, non dicam satisfecisse, sed nec incepisse apud se reputet: dura patiatur, mollia respuat, aspera pervadat, vt dicere possit. *Dura sicut infernus æmulatio.* Quid? longè plura scelera patrantur, quàm virtutum actus. Plures dæmoni morem gerunt, eum venerantur, obsequia deferunt, quàm vero æternoque Numini: plures carnis blandimẽta sectantur, quàm Christi Iesu vestigia: plures eius mortificationem in corpore ferre recusant. Omnes portis latè patentibus ruũt præcipites in mortem. Et ego non æmulabor impium saltem eorum zelum atq; insaniam, vt virtutes amplectar? Deo me prorsus dedicem? *mortificationem Iesu Christi in corpore meo circumferam?* totus ruam in amplexus Domini mei, & cælum vi rapiam? *Infernus*

3. Inter

Ignis. 3. Inter elemẽta, ignis maximam habet vim ad agendum, omnia consumit & in se redigit. Dilectio fortior igne est, parata etiam proprio sanguine illu extinguere. Et sanè ignis extingui potest; Caritas extingui deficereque nunquam potest. *Caritas enim nunquam excidit.* Vnde Beatus Paulus. *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, angustia, fames, nuditas? Certus sum quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei.*

1. Cor. 13.8. Rom. 8. 35.

Aqua. 4. Aqua denique elementum insanum, invincibile, inexpugnabile est. Et tamen non flumen vnum, non maria vniversa, *aquæ denique multæ non potuerunt extinguere caritatẽ, nec flumina obruent illam.* Hic ergò fructus est orationis, vt hominem constantiâ induat, qua stet & non facilè à proposito benè vivedi studio resiliat.

Cant. 8. 7.

22. Fructus. A recidivo liberat. 5 Accedit multos esse, qui dono vocationis stabilẽ cũ Deo amicitiã voveãt: redeunt tamẽ animi quadam malitia postmodùm ad ingenium, quod arguit Sapiens, *sicut canis*, ait, *revertitur ad vomitum suum: sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.* quos lamentatur Ieremias. *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas!* Beatus verò Petrus paterno affectu queritur, nonnullos retrò respicere, eosdẽque peiores post sanctificationem evadere. *Si enim*, inquit, *refugientes*

Proverb. 26.11. Iere. 2. 36. 2. Pet. 2. 20.

fugientes coinquinationem mundi, in cogitatione Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora peiora prioribus: melius enim erat illis, non cognoscere viã iustitiæ, quàm post agnitam retrorsum cõverti ab eo, quod illis est traditum, sancto mandato. Contingit enim eis illud proverbij, canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Miserrima hominũ dementia, qui cum Deo ludere videntur; multa polliceri, nihil præstare, iam mundi, iam spurci apparere; cõpuncti nonnulli cõfitentur: paulò post ac si propositum benè vivendi edidissent nullum, se in lutum peccatorum pertrahi patiuntur; vel quia occasiones non fugiunt, vel infirmitate aut mobilitate quadã ingenij effracti. Alij evadũt quodammodo insensibiles, nec pietatis iudicium præseferunt; tantùm evadere nituntur conscientiæ carnificinam mordicantem, sicque instar Sisyphi saxum volvunt, & revolvunt euntes, redeuntesque viam toties. Tam præclarum sanè donum constantiæ, infelix miseraque relabentis conditio labefactat. Hanc inquam oratio conciliat, inducitque peccati odium, & confirmat cęlesti robore cor hominis, vt Deum, virtutem, honestatemque diligat: vitium verò, dedecus, & omnem immunditiam aversetur, odio habeat, prorsus detestetur atque exterminet.

6. Illud omnino non omittendum; primas

tabulas traditas esse Moysi labore, nullo magna sanè eius consolatione, luminisque cœlestis, & scientiæ cuiusdam divinę infusione. At secundę non ita; labore magno illi steterunt. Excidere, perpolire & Deo scribendis præceptis exhibere iussus est. Ita nobis vsu venire solet, vt prima gratia nobis nulla nostra molestia ac labore gratuitò detur, sola Dei benignitate: at si ingrati tantū beneficiū negligamus, vel sparthā adornare desinamus, & quod gravius est proijciamus, difficilis sanè prioris gratiæ conciliatio, beneficijque recuperatio redditur. Id in Principum amicitijs ac benevolentia videmus, qui vbi sua benignitate nos abuti sibi persuaserint; animūq; idcirco à nobis alienarint, sine magnis precibus, officijsque eos rursum demereri difficillimum est. Orationis munus est veniam deprecari, Dei misericordiam implorare, humilitate flectere, arctam amicitiam fervoremque perditum redintegrare, beneficia ablata repetere ac recuperare. Denique efficere vt pluris apud Deum post culpam simus quàm odiosi, abiectique meritò haberi poteramus.

23. *Fructus Renovationem adducit.* 7. His addendum pręclarum orationis munus fructusque vberrimus. Vt nimirum frequenter tabulas culpa nostra lęsas, aut obscuratas, renovemus ac restauremus. Nam non rarò fœdantur maculis asperguntur; alliduntur

fidunt ad scopulos tẽtationum, sic vt reparatione indigeant. Quæ renovatio quo frequentiùs fiet, eò puriores stabunt tabulæ nostræ. Et sanè hoc officiũ renovationis omitti non debet: si in aliquo læsa obedientiæ integritas, si charitas fratris turbata; si mores solutiores; si lingua effrænis, si oculi profani, si spiritus in res externas profusior: omnino renovandus est & fervor, animique collectio repetenda. Hoc præstabit oratio matutina, ac vespertina. Ab ea non recedes priusquàm cum Deo transegeris, reconciliatus fueris novum spiritum hauseris, cum ipsum inquã, te esse cognoveris, qui eras, cùm primùm te Dei obsequio consecrasti. Hoc quidem opus, hic labor est. Sed memento te culpa tua a gratia & fervore excidisse, nec mereri reconciliationem, nisi ea præstes, quæ fieri desiderat is, cuius benevolentiam contempsisti.

8. Cùm autem lapideum animum in virtutis amante viroque constante desideramus: nõ ita accipiendum est, vt quisquam erga Dominum & eius inspirationes; vel in superiores suos (quos revereri, dictò audire, & benevolè quæcumque mandãt excipere debet) nec etiam in alios æquales, sesè durum, pervicacem, contumacem possit exhibere. Durus is sit & fortis ad vitia expugnanda, ac propulsanda; sit in omnes Dei adversarios, qui legem honoremque eius impetunt atque 24.

Fructus Cor carneum abundansque charitas.

Psal.118 exagitat inexorabilis. Ita Rex pijssimus age-
113. bat. *Iniquos* inquit, *odio habui & legem tuam*
dilexi. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum:
Act.9.5. *legem autem tuam dilexi. Durum enim est tibi*
contra stimulum calcitrare. Cæteroquin Deus à nobis erga sese, exigit cor carneum, flexibile, benignum, pium. De quo dici possit *Inveni virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Queritur Dominus de Iudęis quòd cervicem habeant adamantinam, & monitis eius ac beneficijs non flectantur. Et Beatus Stephanus, *dura*, inquit, *cervice &*
Acto. 7. *incircumcisis cordibus, vos semper spiritui sancto*
51. *resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* Et Christus
Matt.23 Dominus. *Quoties volui congregare filios tuos,*
N.37. *sicut gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti.* Hanc dispositionem si nos habuerimus in oratione sequetur fructus ille quem Dominus exprimit, *auferam à vobis cor lapideum,*
Ezechi. *& dabo vobis cor carneum, & faciam vt in precep-*
11.20. *tis meis ambuletis. Cor carneum* opponitur lapideo, peruicaci, duro, impœnitenti. Carneú verò, humanum quid designat, & affectum in Deum singularem: Cor nempè, quod amore affectuque feratur in obsequium divinæ maiestatis, ipsumque totis complectatur visceribus; qui singularis est fructus orationis.

25. Fructus 9. Requirit denique à nobis Dominus eam dispositionem in oratione, vt ad eam accedamus

damus cum omnimoda resignatione, & cor nostrum instar mollis ceræ offeramus; vt de eo disponere, illud tractare, subigere, comprimere, extendere; in omnem partem versare; ad voluntatis suæ nutum fingere, vota sua in nobis, omnibus in rebus explere, sine vlla resistentia ac tergiversatione valeat. Hæc dispositio eum fructum adferet oranti, vt cùm Dominus vnicè perfectionem nostrã desideret, si profusissimæ eius largitioni, obicem non ponamus, sensui nostro plùs æquo adhærentes, infinitis nos muneribus cumulaturus sit, *& aucturus incrementa frugum iustitiæ* & resignationis *nostræ*. *Copia donorum.* 2. Cor. 9. 10.

TEXTVS SEPTIMVS.

Legem & præcepta.

Alij quoq; fructus orationis.

IN tabulis quas Moyses accepit, numerus inprimis notandus est. Duæ enim erant, nec eæ rasæ omnino, & vacuæ traditæ sunt; sed in ijs scripta erant quę Dominus populo proponi, mandarique cupiebat. Nec dubium est quin decem præcepta decalogi in ijs essēt insculpta. In priori quidem; illa, quæ divinum numen concernebant; In altera, quæ mortales inter se, ad Deum disponebant. De

 dit

dit ergò Dominus Moysi duas tabulas: duo nempe sunt precepta charitatis; alterū Dei, alterum proximi. *Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & tota mēte tua, & proximum sicut teipsum.* Hęc generali quodam modo cōtracta, in decem capita dividuntur, pręter hęc plurimas leges & pręcepta totis libris Moysis Dominus præscripsit, quæ partim naturalia, partim legalia partim denique ceremonialia, nominantur. De quibus inpręsentiarum nihil erit dicendum.

SECTIO VNICA.

De alijs orationis fructibus.

26. *Fructus Amor Dei & proximi,* 1. DIximus animę nostrę tabulas conversatione cum Deo restaurari. In duobus. Maximè ea renovatio, compendio quodam consistit, nempe in charitate summi Dei, & eius intuitu, in proximi nostri dilectione. *In his duobus mandatis vniversa lex pendet & prophetæ.* (*Matt.22.40.*) Insigne sanè munus, & emolumentum. Etsi enim hunc solum fructum ex arboris nostræ tam sublimis, ramis decerperemus; abundè nobis consultum esse reputare deberemus. Dilige Deum, dilige proximum. Deo carus es, regnum cælorum tibi patet. Omnibus gratus es; habes omnia quęcumq; faciunt ad benè beatèque vivendū.

2. At ſicut illæ tabulæ intra cordis tui latebras reconduntur; (recondantur enimverò, non vna ſolum ſed duæ vt & Deum ex toto corde affectuque diligas, & ex eo fonte feraris in proximum, & vtrumque, Deum, hominemque in eo cordis intimi medio concludas. Hoc in oratione poſtula, hoc perfice, & operam tuam vtiliter impenderis) Ita cognitio clarior legis divinæ hauritur quoq; in illo divino orationis ſacrario. Id nobis promittitur hoc texu, *Et dabo tibi legem & præcepta.* diximus legem naturalem inſcriptam eſſe cordibus mortalium. Contingit tamen in multis eam obſcurari, & quaſi obducto velo circumtegi. Has tenebras velumque, congreſſus cum Deo diſpellit ac removet. In morte Chriſti Domini *velum templi ſciſſum eſt medium* quia prophetiæ ac ſcripturæ, quæ Chriſti gloriam, dignitatemque prænuntiabant, diſiectæ ſunt; & lux veritatis, quæ ſubducta fuerat, affulſit. Hoc paſſione ſua nobis promeruit Dominus, vt ſecum quotieſcumque agemus, toties lux illa nobis accreſcat, & ignorantiæ peccatique nebulæ ſenſim diſſipentur ac concidant.

27. *Fructus Legis divinæ cognitio clarior.*

Luc. 23. 45.

3. Verùm notitia hæc cenſeri tantùm non debet ſpeculativa, quaſi quę intellectum dumtaxat perficiat; verùm quę etiam inclinet ad operationem. Vt enim ſtella, quam viderunt Magi in oriente, non modo ſplen-

28. *Fructus. Inclinatio ac facilitas legis divinæ ſervandæ*

dore suo delectabat respicientes, aut in admirationem pertrahebat; sed videbatur proritare intuentium animos, ad motum & profectionem, nimirùm ad quærendum Regē recens natum, quem ipsa denuntiare videbatur. Ita & legis huius cognitio, non tantū vim intellectivam perficit; sed præter ornamentum, quod illi communicat, insinuat simul, non quiescendū in illa cognitione; sed suadet rem ipsam aggrediendam ac perficiendam esse. Quod hisce verbis Beatus Paulus exprimit de gentilibus agens. *Cùm enim gentes quæ legem non habent* (nempè scriptam) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; eiusmodi legē non habentes, ipsi sibi sunt lex qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus eorum: testimonium reddente illis conscientia ipsorum; & inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum.* Apostolus non dicit legem solùm scriptam in cordibus nostris, sed & *opus legis*, id est inclinationem ad legem implendam: additque testimonium conscientiæ accusantis aut defendentis, prout Deo legique internæ præcipienti obediveris, vel neglexeris.

Rom. 2. 14.

29. *observatio mandatorum Dei.*

4 Præter cognitionem illam practicam, oratio multùm promovet legis voluntatisque divinæ executionem. Primùm enim vim impetrandę à Deo gratiæ continet, qua voluntatem eius exequamur. Etsi namq; non omni-

omnibus primò quoque tempore gratia efficax aliquid impetrandi concedatur; oratio tamen illam impetrat, & obtinet, vti copiosè superiùs diximus. 2. Accedit ea solâ peti debere in oratione quæ saluti nostræ conducunt; & illa ipsa orantibus à Christo promittuntur. *si quid ait petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Non petitur*, ait Augustinus, *in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis.* At quid adeò salutare, atque divinorũ præceptorum observatio? 3. Adde iudicio divi Chrysostomi, nullius virtutis exercitio amplius vires animæ ac gratiam habitualem augeri, quàm fervẽtis orationis vsu, enim verò, gratia hæc ac subsidia, magno auxilio sunt observare volentibus legem divinam. Huc facit, orantem egregijs luminibus illustrari, quibus non modò palpabilia vitia conspiciat; sed etiam pulvisculos ac maculas tenuissimas delictorum intuetur: simulque se moveri, atque excitari sentit ad illos abstergendos, atque eluendos; & dum in minimis exterminandis operam collocat, grandiora scelera quæ odit propulsat, atque exterminat. 5. Denique per orationis vsum inflãmatur animus, ad sectandum, amplectendumque perfectionis studium. At perfectio christiana, destruit inprimis omnia, quæ voluntati Dei repugnant, nititurque expulsis vitijs divino beneplacito in omnibus acqui-

Ioan. 16. 23.

Aug. trac 102 in Ioan.

escere: ergò efficit oratio, vt legem & præcepta Dei impleamus.

30. *Fructus observatio consiliorum.* 5. Eodem fundamento statui potest, vt non tantùm legẽ & præcepta divina crasso modo exequamur. Sed apices rerum, & consilia ipsa assequamur & excellenti modo, Deo vel exiguo signo monenti pareamus. Quo in genere excellunt boni religiosi, qui non contenti mandatorum Dei exacta observatione, omnes vires animi intendunt, vt superiorum scita legesque communes, ac privatas lubenter, integrè, religioseque observent; facileque videre est differentiam inter eos qui oratoni se addicunt, & eos qui exteriora sectantur: Hi namque in rebus varijs effusi parva magnaque delicta incautè transiliunt, vix damnum illud quod incurrunt animadvertentes. Illi à minimis sibi cavent, nec parùm quidquam reputant, quo Dei amicitia minuitur, aut perfectionis cursus retardatur.

TEXTVS OCTAVVS.

Quæ scripsi.

Alij orationis fructus.

31. *Fructus Spiritus sancti di-* 1. DIgito Dei lex ista scripta esse dicitur: quia & lex ipsa ex singulari Dei amore condita; eademque benevolentia in tabulas redacta & promulgata; atq; immortali

mortali beneficio mentibus nostris insculpta. Metaphora est, dum digito Dei scriptam Moyses testatur, nec ineptè. Nam vti Deo Patri summa potentia; filio eius, sapientia; Spiritui S. amor adscribitur: ita Patri brachiũ filio manus Spiritui S. digitus tribui, sine prejudicio honoris diuini posse videtur. Cur brachiũ Patri? quia ita scriptura loquitur, & quidẽ in veteri testamento. Quo tempore Pater rexisse mundum videri potest. *Redimam in brachio excelso. Et secundùm magnitudinem brachij posside filios mortificatorum. In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.* Hęc Patri ascribenda sunt ob potentiam, fortitudinem, & imperij antiquitatem; vix enim duę personæ sequentes toto tempore legis naturę & scriptæ, notę fuerũt. Brachium Patris notum erat. Illud verò admodùm longum est. *Nescitis longas regibus esse manus?* Manus longæ dicuntur propter brachij longitudinem. E cælo percutit Dominus, etsi loco non moueatur; & in impios *adhuc manus eius extenta.* Vis, robur, virtus, ac fortitudo in brachio percipitur, quæ omnia Patri apprimè conueniunt, qui Deus exercituum nominatur. Et qui ad aduentum vsque filij, *in manu potenti & brachio excelso gubernauit.*

gitus & eius operationes, Exod. 31 36.

Brachiũ Dei quid

Exod. 31 36.

Psal. 78. 11.

Psal. 88. 11.

Isa. 9. 12.

2. Manus optimè filio quadrat: ei enim sapientiæ nomen est. At sapientiæ est, cuique pro conditione sua adesse: sunt & manus toti corpori

Manus Dei quid significet

Psal.17. 26. corpori, quaqua versum opitulatur. *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris*, ait Rex David. *At cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis* & miseris misericordia præstabis. Itaq; *manus* optimè convenit Christo; quia vnctus. Manus autem vngere affectam corporis partem solet, & Christus Dominus læsos nos vnxit oleo misericordię suæ: ac semimortuo *oleum* primò attulit, & deinde *vinum*. Vt infirmos vngendo, sibi devinciat, & vino lætificet ac confirmet. Manus dona continet, clausa; aperta largitur. Visus est Christus vti manu clausa dum vixit, quam in die Pentecostes & deinceps explicavit. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus, nam de plenitudine* manus *eius nos omnes accepimus*. Denique quia manus omnibus corporis partibus adest & opitulatur: Ita & Christus Dominus *sanat contritos corde, alligat contritiones eorum: Iuxta est Dominus ijs qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit.*

Aba.3.2. Ephes.4. Ioa.1.16 Psal.146 3. Psal.33. 19.

3 Digitus cum spiritu sancto similitudinē habet; ideo dicitur dexteræ Dei digitus: Digiti namque operationem ipsam continuant, ijs scribimus, ijs scalpimus, ijs instrumenta pulsamus, tractamus ac dirigimus; arma corripimus, hostem offendimus atque propulsamus. Spiritus Sanctus legē in cordibus nostris vel lapideis scalpit, vel mollibus inscribit cor hominū regit, Regūq; in manibus tenet

Digitus Dei.

voluntates

voluntates. Arma nobis suppeditat, quibus
hostes vincamus, sternamus, aut in fugam *Luc. 11.*
vertamus. Ideò Christus dicebat. *Si in digito* *20.*
Dei eijcio dæmonia, profectò pervenit in vos regnu *Rom. 8.*
Dei. Oratione ergò hic digitus postulandus *27.*
est. *Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed*
ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.
Ipsum digitum nobis asciscamus, vt
in cordibus nostris legem divinã imprimat,
& modum orandi suggerat opportunum.
O quàm suaviter in oratione digitus hic scalpit
evellitque inveteratas pravæ consuetudinis
radices! quàm amanter novas imprimit
virtutum plãtas præclarasque vivendi rationes
suppeditat! O quales characteres, qualia
consilia suggerit! quos typos, virtutumq;
singularum præcepta exarat! Solet Magister
manu discipuli apprehensa, ac deducta præire,
ac docere formandorum elementorum
species. hoc Dei digitus facit teste Regio *Psal. 27.*
Propheta, *Tenuisti manum dexteram meam &* *24.*
in voluntate tua deduxisti me & cum gloria suscepisti me.

4. Tantùm ei offeramus chartam albam
non oppletam pulveribus vanitatum: non
aspersam maculis criminum, non contectã
cogitationum pravarum nebula; sit alba, sit
munda, sit polita, quę calamum scribentis nõ
exasperet, non repugnet. Scribet digitus Dei
in candidissima hac charta miranda: imaginem

nem sanctitatis, præclara sanctorum facinora, & divinarum scripturarum sensus lumina, delicias amplissimè congeret ac cumulabit.

TEXTVS NONVS.

Vt doceas eos.

Orationis non vulgaris fructus, zelus animarum.

32 Fructus. Zelus animarũ. Exod. 8. 19. Psal. 50. Luc. 1. 15.

I. Digitus Dei est hic, opusque Sancti Spiritus, docere alios, & in novos homines commutare. Post recuperatum Spiritũ Sanctũ David Rex vt Deo gratificaretur & pro suo delicto satisfaceret *docebo*, inquit, *iniquos vias tuas & impij ad te convertentur.* Munus excellentissimum quod multorum donorum præsentiam arguit. Laudatur Beatus Domini pręcursor inter cętera his, S. Lucæ verbis, aut Angeli potius loquẽtis. *Erit magnus corã Domino vinum & siceram non bibet, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deũ ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, vt convertat corda patrum in filios. & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Summa dignitas rudes docere, inimicos Dei amicos reddere, impium ad pietatem inflectere, & Creatori suo postliminio

postliminiò restituere. *Fratres mei*, ait Beatus Iacobus, *si quis ex vobis erraverit à veritate, & cōverterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum*. Ex quibus patet perfectos eos esse debere, qui id ministerij assumunt; repletos Spiritu Sancto, plenos caritate, mortuos sibi, mundoque, ac omnibus quæ mundus properantibus ad Deum obijcit: sicut enim perfectio atque vltimus gradus naturæ animalis; est producere sibi simile, filios procreare; Ita summa perfectio spiritualis hęc est, spirituales filios Christo Domino generare. *Iac.5.19*

2. Tria verò huic muneri sunt necessaria; natura, ars, & gratia. Inepti sunt quidā natura, quibus vel ingenium, vt sunt hebetes: vel eruditio, vt ignavi; vel sermo, vt muti; vel sanitas, vt morbis obnoxij; vel vires, vt infirmi, desiderātur. Ars & exercitatio non parùm conducunt. Sed gratia cæteris prestat. vt requiritur enim debita proportio inter instrumentum, & formam quæ introduci debet. Non enim stipite sulmus, sed acu penetrante: nec cauda vulpina ferrum tundimus, sed malleo: nec hasta scribimus, sed calamo, quia instrumenta illa inepta minusque ad effectum idonea apparent. Corda mortalium non penetrant, stipitibus obtusiores homines, *Tria ad docendū alios necessaria.* *1. Natura* *2. ars* *3. Gratia.*

spiritum

spiritum non habentes: nec emolliunt, fifi-cibus corda duriora viri molles, & effœminati; nec elati, humilitatem Christianam insinuant; sed instrumenta plena Spiritu Sācto in quibus est Deus agens principale, cuius est corda hominum immutare ac ignem & flammam importare. Hinc Christus Do-
Ioan. 20. minus instrumēta apta sibi præparans, Apos-
23. tolis ait, *accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: sicut enim ratio conceptionis filij Dei naturalis, non humana arte, sed divina virtute processit, nempe *Spiritus Sanctus*, ait prænūtius Gabriel,
Luc. 1. *superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi;*
35. *ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.* Ita & generatio eorum qui in Dei filios adoptantur, non carne & sanguine, non humana industria, sed virtute divina, qua si vtatur vir religionis & pietatis laude præcellens instrumentum sanè accommodum, haud dubiè vtiliter & efficaciter docebit. Nō obsunt humana præsidia, vt natura perelegans, eloquentia, ingenium & industria. Verùm si quis caritate, virtutibusque destituatur, meritò ei dici poterit factus es, *velut æs sonans aut cymbalum tinniens.*

1. Cor. 13. 1. 3. Atqui spiritus penetrans, inflammans atque emolliens hominum animos; in consortio & communicatione, intimaque vnio-
Isa. 52. 7 ne cum Deo acquiritur. Nam & Moyses non

non in castris, non in Ægypto, in aula Pharaonis, lucem illam, radios, ac cornua adeptus est, sed in monte, in colloquio cum Deo; Hæc enim ignita cornua arma sunt quibus Doctor Ecclesiæ Dei adversarios ventilare, sibique subjicere debet. *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bona prædicantis salutem. Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. Sagittæ tuæ acutæ; populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.* Pulchri sunt pedes & affectus prædicantium, qui purissimo fine & intentione muniti, antiquorum exemplis in arenam contra dæmones ad animas Deo subiugandas, contendunt. Hæc cornua, hæ sagittæ in conversatione cum Deo acquisitæ atque inflammatę, sternent permultos; quia acutæ plenęque spiritu, quia corda petunt ac penetrant, quia multæ; tot inquam, quot quotidie desideria pullulant. Ex quibus efficitur trium rerum, quas necessarias esse ad iuvandas animas diximus, primam ac potissimam esse gratiam divinam virtutumque præsidia; quæ cùm in oratione acquirantur; necesse est eos, qui convertendis, iuvandisq; conscientijs dant operam, conatus suos omnes ac studium, in orationis subsidio collocare ac reponere.

Isa. 52. 7. *Cant. 7.* *Psal. 44. 6.*

4. Illud quoque vsui esse potest, ijs qui ex instituto salutem procurant aliorum, vt si quid vtiliter

Exemplum iuvat ad sa

lutem ali- vtiliter atque efficaciter docere velint, illud
orum. inprimis in se inducere, imbuere, exprimere atque exercere cônentur. Considerent verò impensissimè iudicentque an continuò studio, cura ac diligentia, sua omnia studia eo datâ operâ referant, vt nimirum zelum animarum in animis suis acquirant, intendant atq; augeant; quò, habitu quodam acquisito, perpetuò flagrent & in opus illud ardetissimè ferantur. Deinde rem quã exponere ac suadere velint primùm ipsi animo præcipiant; vt appareat doctrinam illam, quam adferunt, non tam ex libris desumptam quàm experientia, sensu, vsuque ac praxi comparatam esse: exemplo Domini *qui cœpit primùm facere &*
Act. 1.1. *tum docere.*

TEXTVS DECIMVS.

Surrexerunt Moyses & Iosue minister eius.

Exod. 19 ANtequàm Dominus Moysi legem traderet seu decalogum, severè om-
24. nibus interdictum voluit ne montem accederent; immò ne quidem montis pedem attingerent; nec ab hac lege sacerdotes exêpti sunt, præter Moysem & Aaron, vt patet exodi 19. admisit tamen Dominus posteà Nabad Abiud & septuaginta seniores, qui etiam viderunt Dominum, seu gloriam summæ illius

Maiestatis

Maiestatis, pecularius quàm cæteri; exodi 24
sed à lõgè; nõ sicut Moyses qui in ipsam nebulam ad cacumen vsque montis, ad congressum nimirum cum Deo admittebatur.

SECTIO PRIMA.

Qui & qua ratione ad montis ascensum Deique congressum admittendi.

1. DOcumenta hic non pauca studiosis orationis sese offerunt. Atque illud inprimis: non sine timore ac summa reverentia ad hũc orationis montẽ, vbi supremus rerum conditor cum tota sua curia residet, accedẽdum. Quidam enim parùm reverenter templa ingrediuntur, ad sancta vsque sanctorum penetrant; satis se pios existimãtes, si clarissimũ templi locum nacti fuerint. *Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cælum levare; sed percutiebat pectus suum dicens Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18, 13. Phariſęus non à longè; sed aræ vicinus gloriabatur de meritis suis. Certè indignum est Christianum hominem haud raro gravibus onustum sceleribus sive occultis, sive manifestis, cum audacia & rusticitate, ne dicam impietate (etsi illi ipsi se valde civiliter habere arbitrentur) in loca sacrosancta, præsentia divinę maiestatis formidanda, irruere, caput tegere, fabu-

lari, circumſpicere. hæc, coram principe qui faciunt, inciviles, ruſtici, ſtupidi audient. Quid? Aſa percuſſus eſt, quòd arcam Domini, bobus calcitrantibus vacillantem attigiſſet, & quidem optimo fine nempe vt illā ſuſtentaret. Arcâ Dei maior hic eſt, Deus enim eſt Dominus Ieſus cui appropinquare non erubeſcis. Iubetur populus radicem quidem montis non attingere. Et tu ſine timore, reverentia, conſideratione ſtatus tui, fortè deterrimi, irruere in templa, inverecundè, elato capite non erubeſcis?

2. Alterum eſt non omnibus ſacerdotibus permitti, vt montem aſcendant & tremenda myſteria pertractent: ij ſolùm qui Moyſis & Aaron probitatem & ſanctimoniam imitantur. Non ijs qui ſe indignos tam tremēdo miniſterio tractando reddiderunt. de quibus Ezechiel. *Sacerdotes eius contempſerunt legem, & polluerunt ſanctuaria mea. Inter Sanctū & prophanum non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum & immundum non intellexerunt.* fœdū eſt ſanè huic generi hominum, qui ebrietati & impudicitię impudentiſſimè dediti, ſacroſancta myſteria committere aut permittere. Cùm Dominus dicat. *Nolite ſanctum dare canibus.* Benè profectò Propheta dixit, hos inter ſanctum & prophanum non habere diſtantiam. Nam & ipſi ſancti non ſunt, & prophanè vivunt, & prophanè ſacramenta pertractant

Ezech. 22.26.

pertractant. Altaria, calices, mantilia, candelabra longe immundiora sunt, quàm quæ eorum men ę solent esse vsui. Omnia múda, lucida, integra, minime exesa domi habere cupiũt: & si quid horũ desit, oculatissimi sunt; immunditiem, fœtorem, sordes in altari nec vident nec percipiunt. Quid ergo mirum, si Dominus sacerdotes Moysi, non quoslibet, sed sanctitate conspicuos adiungi velit? Et clament, *foris canes, & venefici, & immudici & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Et *mundi estote, qui fertis vasa Domini.* Hi ergò primùm severitatem iudiciorum Dei apprehendant, à pede montis ad tempus recedant. Tempus erit quo invitabuntur cum Aarone & alijs sacerdotibus cum resipuerint, & pœnas à se delictorum neglectique officij exegerint. Apoc 22. 15.

3. Videtur deinde Dominus in hac sacerdotum aggregatione cum Aarone delectari oratione communi, quæ à pluribus celebratur. Ita vt mutua pietate excitentur; iuvent se mutuò, vt alio deficiente, alter officio substituatur; ędificent deinde plebem gravi & composito cantu. Et qui audiunt, Deum laudent, & ad pietatem inflammentur. Qua de re quia superiùs diximus pluribus, supersedebo.

SECTIO SECVNDA.

Qui in orandi studio præire, qui subsequi debeant.

Exod. 24 13. 1 VErùm ad textum nostrum veniamus *Surrexerunt* inquam, *Moyses & Iosue minister eius*. Audito namque mandato nihil cunctatus Moyses pergit ad montem. Ad ipsum namque iussio ac mandatum dirigebatur. Videns autem Iosue minister Moysi Dominum suum surgentem seu adornantem abitum, stetit & ipse in pedes, eumque vt decebat secutus est.

Mādata cur ad superiores destinentur. 2. Illud inprimis obseruatione dignum est solere principes, mandata sua ad ipsos duces ac præsides populi dirigere; tum vt ipsi qui præsunt ea primi obseruent; tum populo servanda denuncient. Ita Dominus egit cum Moyse. Præsidum hęc sunt privilegia, vt curas gerant; primi, quæ præcipiunt faciant; molestias sustineant eorum, qui repugnant, & ferant onus diei & æstus. Quare Prælatos illos errare censendum est, qui curas seponunt, mandata liberaliter cumulant & promulgant, rigideque servari mandant, & ipsi servare recusent: hos Christus graviter reprehendit. Matth. 23. 4. *Alligant enim*, inquit, *onera gravia & importabilia & imponunt ea humeris hominum digito autem suo nolunt ea movere*. Non ita Moyses qui parere velle sese semper ostendit; immò

immò & famulo cęterisque præire.

Mendatorum verò quædam optabilia; quędam onerosa. Optabilia sunt mensæ accimbere, frui privilegio tardiùs quiescendi assurgendi, invisere amicos, nobilium frui amicitia ac consortio. Multi talibus mandatis optant onerari, eisque levia apparent. Etsi probatis religiosis intolerabilia sint. Onerosa verò sunt carere commoditatibus quibusdam. Qualia sunt; surgere nocturnis horis ad officium divinum decantandum; cellam custodire, includi domo religiosa. Hæc & odiosa & onerosa ijs, qui disciplinam non amant. Moyses statim surrexit, etsi tota nocte immò per quadraginta dies excubare; noctes totidem insomnes ducere; cibo nullo refici, tanto hoc tempore deberet; immò nō reputasset ipse privilegium sibi deferri si quis eum ab ascensu montis atque adeò à tam longa oratione & ieiunio eximere voluisset. Cur ita? quia summum reputabat beneficiū, carere hisce vitę commodis; fruique intereà tanto bono, tamque eximio consortio, nimirum divinæ maiestatis. Cuius boni comparatione, nulla in mundo vel commoda sūt; aut si inveniantur; ea omnia simul cōgesta, despicienda, vt vel ad breve tempus, divina conversatione potiamur. Ex quibus conficitur minimè sibi consulere, qui privilegia conquirunt, de ijs sibi applaudunt, & gratu-

Mādata duplicia. 1. 2.

lantur, malentes esse in mensa inter epulas carnales, in lecto mollori stertentes, quàm in delicijs spiritualibus conversari.

Superiorũ esse alios exẽplo praeire.

4. Hinc etiam dicimus optimè iudicare superiores, qui primi, in omnibus bene gerendis esse ac comparere volunt. *Rectorem te posuerunt, esto in illis, sicut vnus ex illis*; Primus qui manè surgat, vltimus qui vesperi decumbat. Primus in templo, novissimus in secularium epulo. Primus in mensa communi, vltimus in ciborũ singularitate & apparatu. facilius cum minimo suorum, quàm secum permittat dispensari; sic fiet, vt alij ducem facilè seq antur. Surgente namque Moyse statim & Iosue minister eius surrexit.

Eccl. 32. 1.

5. Conveniens etiam est vt superiores, (& vtinam omnes, qui bene audire cupiunt hoc Moysis exemplum sequerentur!) socium habeat; qui partim in necessitate eis ministret: partim in omnibus, actionum suarum testis esse possit. Obnoxij enim sunt calumnijs, neq decet eos, suspicandi sinistrè de se, occasionem praebere. Praesertim si cum mulieribus orandum, agendum, sacramenta administrada; si quid tractandũ, aut referendũ quòd circumspectione indigeat. Longè citiùs in suspicionẽ vocantur superiores quàm alij, qui superiores habẽt, & verẽtur in eorũ incidere reprehẽsiones. Bonus & fidelis testis eos non rarò liberat, & à calumnia; & subinde libertatem

tatem adimit à rectitudine vacillandi cespitandiq́;,aut fœdè in crimē aliquod prolabēdi. Est autem testis ille & probus, & fide dignus, alter Iosue omniq́ue exceptione maior, qui in suspicionem dissimulationis venire non possit. Peccata, opera tenebrarum vocantur, & qui peccant tenebras amant, & quærunt; solitudine delectantur, testes refugiut. Opera verò lucis, lucem optant, latebras fugiut, & testes admittunt atque adciscunt. Et licet opera spiritualia sint vt orationes, exomologeses, consolationes spirituales, infirmorum visitationes, quæ secretò exercere intendimus; nihilominùs in ijs consultum est, nobiscum optimum Iosue habere, qui nos comitetur. Nam Dominus, *& in Angelis suis reperit pravitatem. Et qui amat periculum peribit in eo.* Pretiosa res est bonum nomen, fama & existimatio hominum, quæ facilè læditur, nisi occasiones præscindamus obloquijs, & malevolorum suspicionibus. Iob. 18.

6. Illud etiam non est omittendum æquum non esse, vt Moyses surgat & Iosue sedeat otiosus; permittat Dominum montem ascensu laborioso superare, ieiunare, & orationi instare; interea dormiat ipse. Ita fecerunt Apostoli Christo in agonia sudante. Vnde meru erunt reprehendi. *Non potuistis vna hora vigilare mecum?* Et sanè si Christus non vigilasset, excusatio erat in promptu. At vigilante, Matt.26. 40.

oranteque Domino, quis non erubescat, si dormierit? sunt nonnulli, qui æquo sui curã maiorem habeant, parùm soliciti, si vigilẽt nec ne superiores; sibi persuadent, se debiliores esse; superioribus incumbere, exemplo alijs præire; ipsos subinde rigidiores & indiscretiores videri; vrgere nimiùm subditos; non omnia quæ in scripturis sacris vel
Ioan.13.20. regulis sunt, ad calculum revocanda: satis esse si pro cuiusque conatu ac voluntate institutũ
Luc. 22.44. servetur. *Sed non est servus maior Domino suo.* Dominus Iesus, dum dormiunt discipuli, prolixiùs orat: *& factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* En arca Dei filius æterni Patris, affixa est cruci. Et antiqua quidem habitabat in papilionibus. *filius hominis* verò, *non habet vbi caput suum reclinet.* Et
Luc.9.58 Dominus Ioab exercitus nostri dux, & sanctorum multorum cœtus prostrati orationi vacant & tu dormis in lecto parùm solicitus de pœnis, quæ post hanc vitam in caput tuũ agglomerabuntur, longè durioribus ignis purgatorij, lecto decumbentis. *Non iacet in molli veneranda scientia lecto*, nec virtus longo somno alitur nec inertiâ. Duo hęc pretiosissima monilia sunt virtus, & scientia com-
Exod.24.13. parantur verò labore, & vigilantia. *Surrexerunt* ergò *Moyses*, At is non solus: *sed & Iosue minister eius.*

TEXTVS

TEXTVS VNDECIMVS.

Ascendensque Moyses in montem senioribus ait: expectate hic, donec revertamur ad vos.

Impedimentis orationis alius modus ponitur.

1. CVm Moyses ad ascensum montis pervenisset, eoque esset loco ad quẽ Aaron & seniores ex divina dispensatione admissi fuerant, eos stare iubet, ne vlteriùs pergant. Quippe solus ascendere ad montis cacumen, solus orare, solus cum Deo colloqui iubebatur. De qua orantis solitudine, & diximus supra, & rursus hoc loco Moyses eãdem doctrinam nobis in memoriam revocat. *Orantis solitudo.*

2. Pulcherrima hic quoque figura Servatoris in montem Olineti ascendentis ad orãdum depingitur. Cuius veritas apud evangelistas exponitur. *Venit Iesus in villam quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis. Sedete hic, donec vadam illuc & orem.* Etsienim charissimi illi fuerunt discipuli; At Petrus, Ioannes & Iacobus familiariores; nihilominus cùm orare voluit, *sustinete hic & vigilate mecum*, ait, avulsitque se ab ijs *& progreßus pusillùm procidit in faciem suam orans.* Tanti refert orantem esse solum, vt cor animumque coram Deo liberè possit effundere. *Ascensus Moysis ad montem figura salvatoris. Matth. 26.26.*

3. Quod

1, Quòd senioribus ait Moyses, *Expectate hic*, expedit, vt orationem facturi vsurpemus. Etsi enim Moyses consortio Aaronis & seniorum in perpetuū carere non poslet: nec eorum omnimodam præsentiā ac memoriā deponere: tamen orationis tempore iubentur in radice montis manere & expectare, ne videantur, ne interpellent orantem, ne negotia ad regimen populi pertinentia obtrudant. Idem nobis faciendum, cum ijs rebus, quas etsi omnino deserere non possumus: expectare tamen ad tempus possunt donec facta oratione, ad illas revertamur, sicut & senioribus expectandum fuit, donec Moyses rediret. At qui sunt illi seniores? Primus est corpus nostrum, quod coævū nobis est, ac natum nobiscum: atque illud magna solet laborare solicitudine dicens, *Quid manducabimus, aut quid bibemus. aut quo operiemur. Caput meum doleo, caput meum doleo*, quis mihi medelam procurabit? Cui dicendum est, *expecta hic donec revertar ad te*. Curam tui habeo, magna diei parte; tu animæ tuæ ad breve tempus quietem relinque, vt Deo sibique aliquantulùm vacet. Secundus senior est cura officiorum, quæ cuique incumbunt. Illa enim herum sequūtur, & volunt in templum ascendere. Quid ascendent vxor, liberi, mercatorum rationes, cum omnibus mercibus? amicorum caterua? tota aula ac tribunalia

Impedimenta orationis ad limen templi relinquēda.

1. *Corporis cura.*

Matt. 6. 31.

Reg. 4. 29.

2. *Solicitudo officiorum.*

bunalia patriæ? Dicendum ergò. *Expectate hic*, scio, quòd vos prorsus deserere non possu. *expectate hic donec revertamur ad vos.* Templi limen cauete attingere. *Locus* enim *iste terra sancta est.* Vos prophani; *expectate* ergò *hic donec revertamur ad vos.* Tertius est non satis discretus Zelus animarum. Laudandus enim feruor eorum, qui animas Deo Creatori restituere ac conseruare conantur. At ideò omitti nō debet oratio: sit cuique suum tempus. Et si cùm orandum fuerit recurrant importuna desideria, conceptus, ac discursus, quantumcumque boni; dicendum illis est *expectate hic donec revertamur ad vos.* Hæc nāq; fucorum instar in aluearium intrant, & mel ab apibus paratum inertes exedunt, & orationis fructum exterminant; cuique ergo & studio & orationi locus suus assignari debet. Quartus senior curiositas est varia cognoscēdi, siue è veteribus libris ac monumētis: siue noua quædam, quæ geruntur diversis in locis inuestigandi. Idque prætextu boni finis. Item videndi nonnulla, quæ recens acciderunt. Desideria quoque proficiendi & magna quædam patrandi, parandi quoque domi in aduentum amicorum magna & multa. Occurrunt & conceptus perpulchri, qui in opus luci tradendum opportuni iudicantur. Oculi quoque dum oratur non rarò circumspicere, opposita videre, nonnulla diligentiùs

Exod. 24. 14.

3. *Zelus animarū indiscretus.*

4. *Curiositas.*

tiùs ſcrutári proſpicere atque intueri appe-
5. tunt ſed his omnibus dicendum erit *expectate*
Auiditas ſcientiæ. *donec revertamur ad vos*. eſt etiam in nobis auiditas ſciendi, quæ quidem ex ſe, non eſt ſemper contemnenda; ſæpè tamen degenerat in auaritiam ſpiritualem; qua helluones quidam ſcientiarum, grauiſſimè laborant. Nec minùs impedit orationis ſtudium, quàm diuitiarum ſitis, quę hominem perpetuò reddit inquietum & inſatiabilem. omnibus hiſce deſiderijs & cogitationibus dicito *expectate hic donec revertamur ad vos*. Deniq;
6. *Amicitia ſecularium.* dictis annumeranda amicitia ſæcularium, quibus placere, animum demereri, gratificari deſideramus. Et vt intimè affectus eorũ penetremus, negotia eorum lubenter ſuſcipimus; officijſue eos conciliamus. Sed multò magis parentum gratia, charitas & beneuolentia (quæ viſco quodam naturæ blandioris, eis animos agglutinat) nos allicit & quidem adeò, vt in illis ampliùs animus quã in proprijs corporibus reſidere videatur qui hiſce impedimentis modum non ponit, mirum non eſt, ſi oratio eius confuſa, abrupta, oppreſſaque iaceat. Etſi enim ipſi corpore in templo hæreamus; aliò tamen animus abreptus, cum neceſſarijs ac cõſanguineis imaginariè colloquitur. Non ita faciendum; ſed omnino imperandum, nos in Dei ſacrarium intrare permittant; maneantque extra limẽ

eccle-

ecclesiæ, expectent donec finita oratione ad negotia necessaria revertamur, iuxta adiurationem sponsi in canticis *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Cãt.2.7.

TEXTVS DVODECIMVS.

Habetis Aaron & Vr vobiscum si quid natum fuerit quæstionis referetis ad eos.

De quæstionibus (quæ in hac vita orantibus obesse possunt) ad superiorem referendis, deque earum remedijs.

1. PRæuidet Moyses difficultates quæ in sua absentia occurrere possent, ijsque prospicit ac salutari consilio monet atque hortatur in omnibus ad Aaronem, & eius vicarium seu substitutum recurrant. Idem nobis in oratione, Deique obsequio perseverare volentibus agere consultissimum est. multę namque quæstiones in nobis ac difficultates suboriuntur, sive cum corpore nostro sive cum conscientiæ stimulis, sive cum proximis. Recurrendum est ad Aaronem & ad Vr. Id est ad eos qui presunt nobis & conscientiarum nostrarum curam gerunt. Superiores verò alij ecclesiastici, & horum quidem *Quæstiones variæ.*

Iudices externi & interni. quidem nonnulli religiosi, nonnulli sæculares: alij denique laici. Illorum quidam in foro externo potestatem exercent; alij in foro interno. Externi iudices sunt Reges, Prætores, iudices: & in ecclesiasticis Episcopi, Officiales, Prælati religionum qui de causis cognoscunt iur dicè, & vnicuique subdito ius reddunt. Interni verò sunt pastores,& qui à cõfessionibus sunt. *Habetis Aaron & Vr vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis referetis ad eos.* Non omnia referuntur ad externos iudices: ea tantùm solemus referre, quæ eis cognita volumus & quæ maiorem habent difficultatem, quæque bonum commune, & ius alienum concernunt. Ad nonnullos tamen plura referenda videntur & maximè,quę pertinent ad externã gubernationem, quales sunt Prælati religionum,sine quorum directione, religiosus subditus vivere, agereque plerumque nec potest nec debet. Et si quæstio inter subditos oriatur, ad eum tamquam ad Aaronem referendum erit.

Potestas sacerdotum duplex. 2. Est enim in Prælatis potestas duplex,alia ordinis alia iurisdictionis. Potestas ordinis à Christo confertur,dum sacerdotes initiantur sacris. *Accipiunt enim Spiritum Sanctũ* & potestatẽ peccata remittẽdi. Hanc haben. Sacerdotes omnes novæ legis. Potestas iurisdictionis duplici ratione in Prælatis residet; vel ad

regendos

regendos subditos in externo foro(in quo & mandata condere ac promulgare & legũ prævaricatoribus ac rebellibus pœnas statuere ac infligere possunt)vel ad spirituales functiones,quæ sine huiusmodi potestate expleri non possunt. Qualis est dispensatio in votis; à vinculo excommunicationis, & censuris ecclesiasticis & hæc quidem in foro externo. Eadem verò potestas iurisdictionis latissimè quoque patet in foro cõscientię. Potest enim Confessarius si res ita exigit, & pro pœnitentis salute & fructu leges pręscribere, pœnas decernere, beneficium absolutionis negare, à peccatis solvere. Hæc verò, effectus esse iurisdictionis nemo dubitat. Vnde is in quem hæc exercentur, subditus esse debet confessario, sive quia superior eius est, sive per delegationem potestatis.

2. Iurisdictionis.

Confessarij potestas.

3. Prælatos verò religionũ, vti & Episcopos iustas ob causas, certorum criminum absolutiones sibi reservare, vsus ecclesiæ testatur, sic vt ipsa absolutio non valeat, si secus fieri contigerit. Vt cùm ab excommunicatione aliqua, homicidio vel sacrilegio absolvendi potestas reservatur,is qui ab alijs peccatis absolvere potest; eius confessionem non debet excipere, qui aliquo istorum casuum reservatorum laqueo esset innodatus. Potest & idem Prælatus iustas ob causas inhibere ne sui subditi, habentes huiusmodi conscientiæ

Casuum reservatio.

vinculum, alijs confiteantur, quàm à se designatis; etiamsi alij ad confessiones excipiendas omnium ad se venientium, diplomate apostolico cum amplissima potestate admissi forēt; pręsertim si crimina illa cum periculo scandali, vel recidivi, vel cum damno tertij essent coniuncta. Qui enim secus tentaret minùs esset dispositus ad absolutionem, cùm ex natura rei, tum quia pręcipienti cum iusta causa superiori, habentique pręcipiendi potestatem, parere non vult. Et quamvis delegatam à Pontifice Confessarius auctoritatem habeat, nec illa per Pręlati mandatum tollatur: tollitur tamen ob defectū legitimè dispositionis: mandato quoque superioris, subdito confitendi libertas restringitur quam sibi ademit, cum obedientiam professus est.

Quibus confessio fieri debeat.

4. Possunt & ijdem Prælati, prohibere subditis, ne promiscuè alijs quàm a se designatis præsertim diplomate pontificio carentibus confiteantur peccata lethalia, etsi non sint reservata: alioquin graves abusus, & incommoda in ordines religiosos importarentur. Ex quibus liquet quęnam quæstiones ad Aaron, quæ ad Vr; quæ nempe ad Pręlatos, quæ ad confessarios referri debeant.

Potestas ecclesiæ subordinata.

5. Et vt aliqua in particulari explicemus, Dominus priusquàm cælorum sedes repeteret, suo loco vicarios constituit Pontificem inprimis Romanum; penes quem suprema

potestas

potestas per totam ecclesiam residet: ei subsunt Episcopi; Episcopis Pastores & Prælati non pauci; quamquam alij Pontifici Romano proximè subijciuntur. Quisque in suo gradu, hisce Christi Domini vicarijs ac subdelegatis parere in omnibus, vbi peccatum non cerneretur, pro potestate imperantibus tenetur. Hinc Beatus Apostolus *Non est potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* nec subditus grave reputare debet imperium, quod vehiculi loco, ad cælum properanti, à Deo proponitur. Longè enim difficilius est bene sapienterque pręcipere, quàm obedire. Submitte iudicium & volũtatem, & cætera levia sunt. Si quę ergò quęstio inter religiosos, Christo absente, seu in longinquam regionem profecto, nata fuerit; ad Aaronem referre necesse erit. Ipse Prælatus cuique parti pręscribet, quid magis in Domino, pro iustitia & cuiusque bono expediat. Rom. 13. 1.

6. Oritur quoque subinde quęstio de necessitatibus corporis. Non ferunt nonnulli rigorem ordinis, queruntur sibi necessitates & religiosas commoditates deesse; vestes opportunas negari; recreationes restringi. *Habetis Aaron.* Illi si patres sunt & *non dominantes in cleris*, & vos boni filij fueritis, non negabunt vobis opportuna vitę subsidia ac solatiola. si non faciant, putatote vos esse Christi *Corporis necessitates.* *Exod. 24. 30.* *1. Petr. 5. 3*

Christi pauperes, nec tantùm meritos, quantùm vobis à Domino suppeditatur: multos esse meliores vobis, qui maioribus angustijs, ac penuria premantur, quique libenter colligerent micas, quæ cadunt de mensa vestra. Vos apostolicam vitam sectari, Apostolos spicas subinde auulsas edisse premente necessitate; vos nondum ossibus hęrere, nonnullos, in summa vestra inedia, pingues & obesos apparere; idque singulari Dei beneficio, vestræ patientię, ac paupertati donari. Non deesse, qui etsi abundent, laxari semper velint religiosam inopiam: nunquam vobis quietiùs futurum, quàm primæ institutionis sanctorumque patrum scita servantibus. Qui cõtentus esse possit, eum esse mortalium ditissimum & locupletissimum.

7. Accedit sobrietatem orationis esse primam administram, aut etiam comitem. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Oratio enim omnes vires animi corporisque asciscit, quo hominem ad tam sublime negotium cum summo Deo peragendum erigat. Verùm nihil ita sursum ascendentem spiritum deprimit, vt fumi ac vapores é cibo potuque excitati. Stare nãque velut tabulatum quoddam aut obstaculum ingens, supra caput hominis videntur, nec quidquam sacri fervoris è corde igneo manantis elevari sinunt: quin etiam obsistentes deprimunt, & in tenebras præcipites

Tob. 12. 8.

Intemperantia orationẽ impedit.

præcipites agũt Natura deinde à cibo sumpto quietẽ postulat digestioni faciendæ in quam omnes vires impendit, tanquàm in sui necessariam conservationem. Vnde hebetiores sumus à refectione, & propensiores ad somnum, quàm ad orationem invenimur, etiam nolentes, & inviti. Huc facit; in capite præcipuos mentis vigere sensus, ac potentias: in eo operationes intellectuales exerceri, vtpote, vbi sedes orationis, à summo artifice collocata est: at ciborum repletione ac nebulis, illæ potentię obtenebrescunt. Quemadmodum enim, cùm ex olla bulliente fumus ac nebulę sursum ascendunt, vaporibus & exhalatione, (quæ ab operculo excipiuntur & reverberantur) humor liquatur, qui rursum infernè deprimitur. Ita & qui post cibum copiosum mentalibus exercitijs animum appellunt, nebulis ac vaporibus obruti, coguntur naturæ importunitati, quietẽ somnumque expetentis, succumbere. Omitto regnum Dei non esse escam & potum, & quod necessitatẽ excedit ad regnum Dei nõ pertinere. Generat enim nõ devotionis sensus, sed inanes, futiles, impuras cogitationes, risus, cachinnos, salutis incuriam, vaniloquia, oculorum sensuumque neglectum, motus libidinosos, audaciam, oblivionem Dei, & quod deterrimũ est, multorũ annorum cum virtute transactorum labores absorbet

15 Sobrietatis laus.

ſorbet. Chryſoſtomus verò arbitratur ieiunium creare in animis hominum alas ſpirituales, quibus ad Deum aſcendāt: atque elevatos ſub pedibus tranſitoria omnia contemplari, ac calcare. Vt enim nauis iuſtis onuſta ponderibus, nec gravata, celerrimè volat; & vento, remis, aut aquæ ſecundo fluxu rapitur; ita & qui ſobrietatem ſectantur, eaque delectantur, facilè in Deū aſſurgunt, & ſine impedimento perveniunt. Quare ſi quid circa corporis neceſſitates ſubinde quæſtionis occurrit, ſi quid circa officia partim domeſtica, partim ſęcularia: ſi quæ verborum contentiones; denique ſi quę pacem & quietem animi interturbant; *Habetis Aaron & Vr vobiſcum, referetis ad eos.*

SECTIO SECVNDA.

De quæſtionibus quæ ad confeſſarium referri debent & inter cætera de ſcrupulis.

1 EXpedit in eccleſia Dei præter Epiſcopos & Prælatos conſtitui Paſtores ac confeſſarios, qui conſcientiarum curam habeant ac eas regant nomine Chriſti Paſtoris optimi, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis: quique ad libertatem conſcientiarum ſtabiliendam, præficere voluit aliquos qui auctoritate è cęlo tradita cum ſigillo ſeveriſſimo, in-

firmitates

firmitates humanas cognoscerent, eisque magna charitate fideque mederentur: multa enim occurrunt, quæ Episcopis, suis Prelatis ac superioribus nonnulli verecundiores manifestare reformidant; & si eis nota esse oporteret, manifestum potiùs salutis discrimen adirent, quàm abdita mentis suę revelarent etiam sub secreto confessionis. Quare prudenter Ecclesia consulit animarum securitati; cùm diversi ordinis iudices internos constituit ac multiplicat: vt vbi cum vno quis liber esse non possit, ad alium valeat recurrere ac vulnera sua secreta manifestare. *Confessariorum necessitas.*

2. Quæstiones verò conscientiæ variæ sunt: atq; illud in genere dici potest: summũ à Deo tum demum privilegium nobis concessum esse; præsertim rudioribus adolescentulis ac iuvenibus, sed maximè pudibundis puellis ac mulieribus; cùm virum integrũ, castũ, prudentem, fidum, monendi, reprehendendi, hortandique libertate preditum, cui abdita conscientiæ nostrę credamus, & quæ nos vrgent atque affligunt, pandamus; consilia optima relaturi, nancisci possumus. Quid enim maius ac iucundius quàm habere amicum secretum, fidumque cui tutò te committas, audenter loquaris, vt tibi; secreta aperias, nihilque verearis exponere, quod nolis vel vni mortalium alteri, pro facultatibus omnibus & vita ipsa detegere: à quo Dei no- *Vtilitas eorumdẽ.* *Quid ad confessarios referendum. 1.*

mine dubiæ conſcientiæ affectæque, certas reſolutiones haurias ac reportes. Certe nihil in mundo melius ad ſalutis certitudine, ad ſolidam conſolationem, à Deo datum eſſe hominibus mihi perſuadeo. Omnes ergò quæſtiones quæcumque illę ſint, etiamſi ad Aaronem ſpectent, aut etiam ad quoſlibet laicos & ſæculares ſemper licitum eſt ad hunc arbitrum, conſilij ſolatijque cauſa referre.

3. Maximè propriè tamen eæ ſunt, quę abſolutioni ſubijciuntur. Vt ſunt peccata, quorum alia venialia dicuntur, alia lethalia. Ad hæc delenda claves habet à Chriſto datas, ſed ea fateri, ac illi manifeſtari neceſſe eſt. Ipſe enim iudex eſt & ſedet pro tribunali, in quo hæ perſonæ neceſſariæ ſunt. Iudex inprimis competens; accuſator; teſtes & reus. Ille iudex cenſetur competens, qui & ſacerdos eſt & iuriſdictione habet in eum quem abſolvit.

Tribunal ſecretum

Accuſator is eſt, qui confitetur contra ſe. Conſcientia mille teſtes: idem & reus qui accuſator. Vt autem reum iudex abſolvat vel condemnet cognoſcere debet de delicto. Hanc verò notitiam ſecretorum ab alio habere non poteſt, niſi à reo, quem ſi diſpoſitum inveniat, à peccatis abſolvit. Sin minùs reijcit. Quare ſi quid natum fuerit quæſtionis circa peccata: ad Vr ſeu confeſſarium

rium referendum est, modò superiori peccata illa non reserventur. Quo casu qui potestatem non habet ab eis absolvendi, vel ad superiorem, vel ad eum penes quem talis potestas est, debet remittere.

4. Aliæ quæstiones ex conscientia minùs recta quietave oriuntur quę vehementer animum exagitant, & orationis studium interturbant. 3. Scrupuli. Ad quas aliud pęnè remedium non est, quàm vt ad arbitrum conscientiarū nostrarum, quęstionem omnē ac dubia perplexa deferamus. Hi sunt scrupuli; ita dicti, quod sicut calculi seu lapides parvi calceum intrantes magna pedem afficiunt molestia, & sauciant non raro, gressumque claudicantem ac fastidiosum reddunt. Ita & conscientia dubia ac scrupulosa molestiam parit & inquietudinem; lædit animi pacem & vitam spiritualem tędio ac mœrore complet: vt qui proficere cœperint, retrocedere, aut implicati nodis difficillimis toti ad eos solvendos convertere se & à profectu cessare cogantur.

5. Ij nempe totum hominem occupant, vt alia de re cogitare vix possit. Scrupulorum damna. Tollunt deinde omnem orationis ac pietatis suavitatem ac gustum. Sicut muscæ *morientes, vnguenti suavitatem exterminant*. Et vino generoso frigidæ infusio largior, vim plane adimit. Et

lapidum

lapidum in ignem ardentem congeſtio, ardorem extinguit. Huc facit, quod ægritudo hæc, diffidentiam generet, deſperationem nutriat, ſpemque quæ fundamentum precationis eſt, excludat. Sanè huiuſmodi anxietates ac ſtimuli conſcientiæ orationis naturæ vehementer repugnant. eſt namque oratio ſpei actus; & petitio ipſa, fiduciâ rei conſequendæ nititur. Alioquin cur petam cujus in ſpem venire non poſſum? Addo orationem eſſe mentis elevationem in Deum. At ſcrupuli non elevant mentem, ſed prorſus deprimunt ac proſternunt: avocant etiam à Deo & pertrahunt omnes animi vires ad conſideranda peccata, ſed fruſtra; ſic vt Dei obliviſcatur. & quod peius eſt, cogitationes ingerunt obſequij divini deſerendi; & ad priſtinę vitæ diſſolutiones repetendas impellunt, & pertrahunt. *Habetis Aaron & Vr vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis referetis ad eos.*

6. *Scrupuloſorum diverſa genera.* 6. Varia autem ſunt ſcrupuloſorum genera. Quidam laxiſſimi ſunt in admittendis peccatis, nullum vnquam obicem inveniunt, toti ſoluti moribus, verbis profuſi, & ad res ſcurriles effuſiſſimi. At vbi exomologeſis facienda, libellos implent, res vna toties exponitur, quot ſunt facti circumſtantiæ, ſive hæ, aggravent, ſive non; repetuntque rem eandem ſæpiùs, & vrgent ſacerdotem.

attendat

attendat; rogant an intellexerit. Et vbi per absolutionem carnificina illa conscientiæ sublata est, illicò redeunt ad ingenium.

7. Alij in confessione facienda sunt breves, & acquiescunt confessario, sed ad opera singula, conscientiam peccati sibi formant. Alij de lapsibus quotidianis non laborant sed prȩteritorum delictorum memoria obruuntur, cruciantur; nec finem faciunt eiusdem rei repetendæ. Nonnulli sibi scrupulosi non sunt, sed minutuli ferre non possunt defectus alienos, quos iudicant, & damnant per omnia: de se præclare & sentientes & loquẽtes. Sunt & alij qui aliorum curam habent, & de defectibus subditorum parùm sunt soliciti; in se verò crudeliores censores existunt. Denique quidam hallucinantur ac cespitant pęnè in factis omnibus etiam in virtutum operibus, in omnibus se ipsi calumniantes. Verùm maximè se cruciant, cùm ad examen cōscientiæ veniunt, seseque quasi sub incude concludunt, aut in prælo rigidissimo consternunt. Vbi verò, sacerdotis aurem nacti sunt, vel sunt nimij in quibusdam; vel certè subinde ita taciturni, ac verecũdi, vt pæne forcipibus dentes aperiendi; & verba tarda & extorta ex ore, magno fastidio deducenda videantur. Remedia aliqua erunt constituenda.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De scrupulorum remedijs.

Scrupulorum causæ.

1. QVoniam ex diversis causis conscientiæ errores enasci diximus, diversa quoque remedia applicare necesse erit. Et quidem inter primarias causas, naturę complexionem malignam, atque corporis intemperiem attulimus; in quibus exundet humor melancholicus, aut biliosus; aut accedat intempestiva tractandi corporis ratio rerumque agendarum indiscreta dispositio, ac regimen, aliæque infirmitates; exploratum est, exiguam fore animo quietem, vehementiusque dictos humores in imaginationem non adeò firmam sævituros; ex quibus inquietudo, ac carnificina intolerabilis pullulabit. Vtque hac de re meliori methodo tractemus; remediorum horum momenta in septem paragraphos partiemur.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Remediorum initium à medicis exquirendum esse.

2. ERgò ante omnia, medicamenta corporalia huiuscemodi morbis præscribenda erunt potiùs quàm spiritualia. Vt enim

enim spiritualis infirmitatis fundamentum ac origo, ex corporalis infirmitatis fonte procedit: ita quoque ad medicos potiùs corporales, quorum est cognoscere ac discernere de morbis corporalibus, hisce molestijs affecti comprimis remittendi erunt; quibus medicis, si pareant ipsi magnam morbi sanandi partem assecuti videbuntur. Deo ipso auctore qui mandat *honorandum medicum propter necessitatem.* Ecclesiasticus sane eiusdem spiritu ita præscribit. *Altissimus de terra creavit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Etenim plerique hac infirmitate detenti, plus æquo, iudicio; ne dicam imaginationi suæ indulgentes, avelli non possunt, ab eo quod semel conceperunt; medicamenta ac rationem victus, eam optimam esse statuentes, quam ipsi sibi commenti sunt. Hi sanè insanabiles remanent; quia in quo curationem ordiri necesse esset, in eo ipso hallucinantur, & in iudicij erronei scopulos impingunt. Nullam moderationem servant: infirmitatibus suis alendis ac conservandis ansam quam maximam prębentes: nunc immoderatis ieiunijs sese conficiunt: nunc cibis ingurgitant: illos cibos optimè sanitati quadrare reputantes, etsi nocivos, & planè bono succo contrarios, quos inordinatus appetitus, ac libido reposcit. Non frustrà ergò divina providentia *de terra creavit medicamenta & vir prudens*

Medicorum opera sersu pulosis necessaria.

Eccl. 38. 4.

Eccl. 38. 4.

prudens non abhorrebit illa. Imprudens, & vir sine sensu, abhorret; quia imaginationi non placet; quia palato non arridet: quia cùm summo morbo laboret, eo ipso carere non vult, sed fovere, & in eo consenescere, ac potiùs gravia pati incommoda, quàm cupitis atque irritātibus delicijs privari. Experientia tamen docuit, creata à Deo medicamēta, & inter cętera Rhabarbarum, ac casiam, ijsdem tam atram quàm flavam bilem humano corpore excludi, sæpeque ad mentem redijsse, qui pænè ab ipsâ desciverant.

3. Nolim tamen spirituales homines anxiè ac medicè vivere, horrere templa, nocturnas orationes, ieiunia, moderatas pœnitentias, cibos ordinarios ne valetudini suæ obsint: sequantur ij sapientiorum iudicium, suum submittant; vt paucis; hæc ratio valetudinis conservandæ, quam dum varijs vel ciborum desiderijs labefactas; vel intempestivę inediæ immoderatione destruis; in vtrāq; partem agitas animum, qui certè nunquàm quiescet, donec ei acquiescas, qui tibi pro imperio modum potest pręscribere.

PARAGRAPHVS.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Alacritatem animi conscientijs afflictis esse comparandam.

4. SEcundum hoc remedium magnum habet cum præcedenti commercium, atque eodem pęne nititur fundamento. Cavendum quippe omni ratione ijs qui animi anxietate laborant, ne vnquam tristitiam admittant: admissam propellant, & eius occasionibus nunquàm locum prębeant. Ea enim est, quæ totius morbi radices alit; generat cogitationes importunas; turbat imaginationem, iudicio tenebras offundit; intellectum obnubilat; terrores ciet; sanguinem ac humores salubres corrumpit, & in atram bilem convertit. Qui enim in amaritudine versantur, horrent Dei iudicia, eaq; perpetuò eorum oculis obversantur; quæcumque contra peccatores à concionatoribus denuntiantur sibi ascribunt; cuiuscumq; ea demum generis sint; quęcumque in mentem veniunt, vel etiam in cogitationem, sese eadem admisisse arbitrantur. De morte & ratione, severo iudici, reddenda, cogitationes sic fovent, vt religioni ducant eas à se amoliri. Assiduè peccata versant animo; sicq; sese calumniantur, vt neminem mortalium *Tristitia incommoda.*

deteriorem

Vitandæ Tristitiæ occasiones. deteriorem reputent. Hæc à Spiritu melancholiæ exoriuntur. Harum ergò cogitationum occasiones vitandæ: fugiendum scrupulosorum consortium ac conversatio. Etsi enim amicorum necessitudò ac familiaritas jucundam vitam efficiat, scrupulosorum porro colloquium instar tineę exedit & corda & corpora, ijque, se mutuò, adiuncti conficiunt. *Sicut tinea vestimento* (ait Sapiens) *& vermis ligno: ita tristitia nocet cordi.* *Proverb. 25.20*

5. Assumendæ ergò cogitationes de Dei bonitate & misericordia, de Christi Salvatoris meritis, eius amore in peccatores, quorum causa in has vitę calamitates è cælo devolui ac immergi voluit. Considera vocationem tuam, quamque benigne tota vita Deus tecum egerit; quoties solatio incredibili te perfuderit. Oculos attolle, in cœlum suspice, vbi tibi sedem supremus Rex ab æterno, ob filij sui merita, præparavit; si velis; si medico, si directori tuo pareas, & pro virili cōditorem tuum diligas. Hisce cogitationibus angustiæ pectoris tui dilatabuntur: & sicut, cum sol lucet, glacies ac terra concreta dissolvitur: ita sole iustitiæ, in animum admisso, constricta viscera solventur ac producentur. Hoc sensit David cum dixit, *Viam mādatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* S. Athanasius, Beatum Antonium solitum dicere refert. *Si alacres in Domino fuerimus,* *nullus*

Alacritatis vtilitates *Psal. 118*

nullus dæmonum ad mentes nostras impugnandas au debit accedere. Hoc medicamentum alacritatis quotidie sumat infirmus. *Gaudeat in Domino semper;* Sequatur Chrysostomi consilium de institutione monastica loquentis. *In monachorum* ait *institutis, vna tantùm re opus est, nobili scilicet atque eximia alacritate animi. Hac si adsit, nihil quò minùs ad summam quisque virtutem perveniat, impedire poterit.* Vnde colligitur nimiam animi tristitiam magno esse ad perfectionem impedimento.

In vita S. Antonij.

Philip.4.4.

6. Nolim tamen alacritatem hanc in vanam ac dissolutam lætitiam degenerare, quali mundani perfruũtur nimiũ effusi in res vanas ac temporales, & maximè in corporales recreationes. Hæ scrupos non sanant, sed exasperant: *Gaudium* enim *hypocritæ ad instar puncti* afficit illud quidem; sed aculeus, qui inde nascitur incredibili vulnere animam sauciat ac perstringit. Longè alius est animi motus, qui ob conscientiæ bonę testimonium exurgit, ex rerum benè beatèque gestarum memoria; ob Dei promissa; ob conformitatem nostræ cum divina voluntate; propter visitationes cælestes; ob spem futurorum præmiorum; propter occasiones benè de divino numine, ac proximorum salute merendi: ob amplificationem honoris supremę maiestatis; ob profectum hominum, qui inanium rerum cultu atque amore contẽpto

Alacritas vana fugienda.

Iob.20.5.

N totos

totos in obsequium cælitum se convertunt. Hic, inquam, animi generosus impetus, tantùm abest, conscientiam mordeat: vt etiam novas plane vires & animos addat ad magna aggredienda ac prosequenda; summam in conversatione cum Deo & hominibus alacritatem, quietemque conciliet ac stabiliat.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Scrupuloso non facilè iudicandum de lapsu in peccatum mortale, vel etiam veniale.

Temerarium est se damnare peccati mortalis propter scrupulos.

7. AD dosin tertiã veniamus. Verùm dicet aliquis. Qua ratione vitam lætam ducere valeo, qui gravissimis sceleribus me oppressum video. Peto verò abs te, quæ sint illa scelera quorum animus tuus conscius est? Ea inquis, quibus idem omni hora ac momento sese contaminat; nempe ea inquam quibus per scrupulos conscientia tua impetitur. Ergòne crimen est, scelus abominandum ac nefas, in animo invito cõtumeliam pati? criminationem iniquam sustinere? nullo modo. Sicut qui dæmonis carnisve tentationes sustinent, si aliud non sit, eo certè nomine, omni culpa carere censendi sunt; alioqui quomodo Beatus Apostolus diceret. *Beatus vir qui suffert tentationem;*

Iacob. 1. 12.

quoniam

quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quã repromisit Deus diligẽtibus se. Probatio hæc, canis latratus est; mordere conatur ille quidem, sed mordere non potest, ni velis. *Captivum ducere nititur*, auctore Beato Paulo, *in lege peccati*. *Captivat* subinde, sed non capit, non vincit, non abducit, non compingit in carcerem. Tum demum morde tur animus, vincitur, ac servus abducitur; *Concupiscentia cum conceperit: parit* enim *tum peccatum*, & quidem nondum lethale; *sed cùm consummatum fuerit generat mortem*. Vbi enim quis se cani tradiderit mordendum, hosti vinciendum & abducendum, sciat sese morti addixisse, cum morte animæ atque æternâ pactũ inijsse. *Concepit nempe* (vt ait Propheta Regius) *dolorem, & peperit iniquitatem: lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit*. Non ita qui calumniam sustinet, qui disperire malit, quàm ab amicitia Conditoris sui descíscere. Benè quidem, ait ille, si me capi atque illaqueari non sentirem. Verùm aliud est sentire, aliud consentire.

Roma. 7.23.

Iacobi 1. 15.

Psal. 7. 15.

8. Mirum est sanè, quòd si rogeris, anne millies emori quam Deo Omnipotenti terga vertere, malis? respondeas te paratum omnia mundi tormẽta subire, in ignes, gladiosq; induere potiùs, quàm legem Domini tui deserere. Item si te adversarius tuus calumnietur, excusas te, succenses, ad iudicem pro-

vocas. Cur tibi non irasceris, quòd tantam tu ipse tibi iniuriam irroges?
9. Cùm malè agis, tegis crimen tuum; & fortè tempus fuit, quo peccata peccatis addebas, teque ipsum palpans crimen tuum extenuabas, & vt exiguum aut nullum excusabas. O dæmonis astutia! cui tum parebas, nec artes eius agnoscebas. Eius profectò hoc erat astutum consilium, vt te illigaret, & turpitudine peccati in dorsum reiecta, infinitis voluptatum illecebris, quę tibi & bonæ & venustæ apparebant, immergeret. Eâdem arte, cum omnibus mortalibus hostis humani generis vtitur. Cur ergò modò, te à cognitione peccati non deterret? Cur ab eius turpitudine non avocat? Cur aliter tecum agit, quàm cum cęteris hominibus fœdè subinde delinquentibus, quibus voluptatis præstantiam obijcit, dementiæ fęditatem occultat? Cur & multitudinem scelerum in te congerit, & in animum innoxium intrudit ac cöagmentat? Cur ita gravitatem exaggerat; ac si crimina ipsa perpetrares, ea quidem quæ toto animo odis, quę execraris; quę continenter sacramentali confessione detergis, ac si ea ipsa suscepisses? Artificium hoc est eiusdem dæmonis, qui cum in casses suos pertrahere te nō possit inductione manifesta, subdolè te in partem contrariam provocat, vt non vnum peccatum admittas: sed

vt Dei cultu, fastidio quodam, despecto, te in omnia vitiorum genera immergat atque involvat.

10. Exploratum ergò evadit, & sacræ paginę testimonijs, & rationi consentaneum, mordicationem illam animi, peccati labem non continere, eamque præter morem, dæmonis præstigijs excitari. Quid dico te innoxium hac in parte crimine carere; cum & vtiliter (Deo ita disponente) morbus hic in saluberrimam medicinam subinde commutetur. Morbus est & molestus quidem, febris quartana; purgat tamen, & noxios humores consumit; sæpeque contingit, vt postmodùm sanitas constantior eidem succedat. Ita initio accessionis, ad divinum obsequium, è salebris vitiorum emerso vsu solet venire. Prosunt scrupuli, qui instar scoparum mentem expurgant. Et quemadmodum decet, frumentum cum paleis mixtum excuti primùm, tum ventilabro paleis dispelli, vt granum à sordibus discernatur: ita quoque excussiones, disquisitiones, examina, remorsus conscientiarum apprimè vtiles sunt, vt vitia à virtute discernantur; quod bonum est retineatur; quod deterrimum, expellatur. *Vtiles subinde esse scrupulos*

11. Ne ergò mihi dicas criminationes has, molestasque muscas animo insidentes, mordicantesque, esse crimina; cum ne quidem, si displiceant, inter nęvos recenseri debeant;

imò ad meritum præmiumque bonorum operum pertineant. Tantùm ne audias calumniatorem; fuge latrantem canem, ne te mordeat. Crede dicenti tibi, eos peccati reos non qui peccatum execrantur, sed qui admittunt atque suscipiunt.

12. Benè quidem (ais) si ita execrarer, vt non subinde immorarer: quis enim impetus istos toties repetitos non audiat? non etiam his adhærescat affectu ac sensu? Et hoc sine dubio peccatum esse nemo dubitat; erit ergò mortale? Verùm hæc dici possunt, non facilè probari. Quis enim credat hominem paratum emori pro tuitione legis divinæ, tam facilè amicitiam Dei deserere, contemnere, imò à mente & ratione recedere? Vbi agitur de æterna separatione à summo bono, pœnisque sempiternis incurrendis? Videamus si placet, quid patres definiant esse peccatũ mortale, & te toto cælo aberrare cognosces. Richardus à Sancto Victore discrimen inter mortale & veniale peccatum cõstituens, ita ait.. *Mortale est, quod non potest committi sine gravi corruptione sui. Item mortale est quod non potest committi sine gravi læsione proximi. Denique quod non potest committi, sine magno contemptu Dei. Cætera mihi videntur venialia.* Considera ergò & metire actionum tuarum momenta ac rationes, ex hac sapientissimi viri definitione; atque inprimis, an te totum

Richa. a S. Victo. tract. de differentia pecc. mort. & ven. p. 1 pagina 389.

Quid peccatũ

totum corruperis, animum nempe & corpus. Vt mortale peccatum suscipias, debes deseruisse rationem ducem, intelligentiam veri, certoque discernere ac nosse, te à carne aut dæmone in turpitudinem pertractum & quidem animo deliberato ac volenti. Hoc ne vnquam sciens & volens concipere, suscipereque auderes? Quoad corpus: an tibi iugulum petijsti? An pectus ferro confodisti? An membrum tibi necessarium præcidisti? An parentes, qui tibi vitæ principium dedere, trucidasti? Hæc & similia legi divinæ repugnantia nisi feceris, mortale non feceris. Alioquin te graviter minimè corrupisti. At proximum fortè læseris? In quo? furto, eius bona notabilia abstulisti? Eius bonum nomen cum gravi dãno violasti? Crus ei aut tibiam amputasti? Oculum eruisti? Aures, aut nares detraxisti? His enim modis & similibus, quibus notabilis iniuria sibi aut proximo irrogatur, ac graviter læditur, peccati mortalis culpa contrahitur. Considera denique an gravi contemptu Deum lacessiveris, irriseris, exceperis? Tu fateris te mille cruciatus ante passurũ, quàm Deum contemnas. Quomodò sic te calumniaris vt propter atomos in oculos tuos irruentes, & umbellam obversantem, te Deum contemnere graviter crimineris? Si sapis ad mentem redeas, & saniora de te iudicia, de Deo, de tuis directori-

mortale quid veniale.

ribus ſtatuas.

Hæc infirmitas tua, eſt, ex trium fontium aliquo, vel omnino tribus producta, nempe ex vehementi apprehenſione, quæ rem parvam, ingentem; ex muſca facit elephantem, Deinde ex ſuperfluo, incondito, & intempeſtivo timore, qui animum ex ſe ſatis anguſtum, in ſummas anguſtias redigit ac cõſtringit. Accedit & amor inordinatus ſui, quo quis illigatur, vt à ſenſu proprio, & voluntate nolit recedere; & quamvis in carnificina & ſordibus (vti ſcarabeus in ſtercore equino) eius mens & affectus verſetur aſſiduè; tamen in his, prô dolor! anguſtijs verſari ac commorari mavult, quàm in virtutis auguſtiſſimis delicijs, & beatæ vitæ amœniſſimo horto, quiete ac pace iucundiſſima perfrui; Arguit etiam amorem inordinatum irrationalis ille timor peccati: qui non ex amore divini numinis, ſed ex amore concupiſcentiæ, vt vocant, ſcholaſtici dimanat. Timet enim huiuſmodi animus ignis inferni gehennam ac horret: quia nempè ſibi benè vult, & malum refugit. Verùm, quia peccatum pœnarum infernarum cauſam præbet, illud perhorreſcit, nec diſcernit, vtrum verum peccatum, an eiuſdem vmbra ac ſimulachrum id efficiat; omnia etiam tuta, vera, falſáque metuens. Et ne in barathrum delabatur, mavult ſibi aſcribere, quod nequaquam

Tres ſcrupulorum fontes.

Amor ſui inordinatus.

Timor

nequaquam admisit, quàm se inani ac vano periculo damnationis exponere. Multa sibi obijcit, quæ nec sunt, nec futura sunt: aut sanè, si existant, longè aliter apprehendit, quàm deceat mentem sanam. Quemadmodùm enim qui timet hostem, eum capiti suo perpetuò imminere arbitratur: qui incendium, assiduè æris campani pulsum sibi audire videtur: Ita & qui insano timore peccatum perhorrescit; in omni re illud delitescere, ad fores mentis pulsare, ob eo se invadi ac possideri opinatur, cum ab eo longissimè dissideat. Vnde morbus ille convenientissimè perspicilijs comparatur, quorum vitra, si rubra, omnia eiusdem coloris apparent: si cærulea, coloris cerulei: si viridia, viriditatem rebus ipsis inesse mens insana concludit; ita & qui morbo præsenti detinetur, perturbationem animi tanquàm perspicilia sibi admovet, nec ex rei veritate iudicat, sed ex sensu perturbationis, passionisve, sententiam fert veritatis fucatæ; fallsum pro vero assumens, vitium pro virtute, prævaricationes virtutum actus definiens. Ergò ab oculis amove amorem inordinatum, extermina perturbationem, & clarissimè advertes te hallucinari, eaque peccata non esse, quę mortalia existimas. *Apprehēsio inanis*

13. Dicis enim gravi me scelere obstrinxi; in varia atque enormia crimina, contra fi- *Eadem convellitur rationibus*

dem, contra Dei caritatem, toto animo descendi. Hoc inquam dicis. Ego contrarium assevero; cui potius credendum est? Fortè confessarius tuus, tu pœnitens meus. An tibi potiùs me decet credere; quàm te mihi? Crederem, ais, si tu mentem meam videres ac cognosceres. Cognosco, inquam, sicut tu exponis, longéque perspicacius quàm tu; nã oculus tuus, ob tenebras circumfusas, pro rei veritate iudicare non potest; & nihilominùs, etsi teipsum damnes gravissimi sceleris; ne vmbram quidem delicti percipio, aut defectum deprehendo.

14. Quis huius disceptationis erit iudex? Ponamus te, meque partes esse, & inter nos contendere. Iudicem eligamus quàm optimum si Sapientem eligam non admittes, reclamas, excipis. Neminem præter te iudicem probas. Næ tu iniquus iudex es, qui te ipsum insontem condemnas. Qui tibi nequam cui bonus eris? Ego quemlibet sapientem arbitrum huius controversiæ deligo; totidem testes, quot sanæ mentis doctores Ecclesiæ. Tu proba quod asseris, nam sine teste, aut sine iuramento, in iudicio dicenti nemo tenetur credere. Dicis; animo, commisi infandũ crimen. Dicis, & non probas: aut tibi credendum non est; & manus dare cogeris, nisi pertinax haberi velis: aut certè iuramento edito, disceptationi finem imponas. Dic ergò

iuramento

iuramento depone; per Deum sanctosque omnes, te crimen animo admisisse; in illud consensum prębuisse. Si verum non sit, tibi diras omnes imprecari, te pœnis sempiternis, cum tæterrimis dæmonibus devovere. Credo id tę nunquam facturum. Cognoscas ergò, tibi illudi ab imaginatione tua, cui credis potiùs quàm viris sapientibus, qui vitę & mortis tuæ internæ & æternæ, Deo reddituri sunt rationem. Quasi verò tuæ magis conscientiæ consulas, quàm illi suæ, quos præ te iudicas & contemnis.

15. Vrgeo ampliùs. Fac tibi Christũ Dominum loqui in hæc verba. Tune in crimen, ac nefandũ facinus, consensisti? Si te adhæsisse, manusque dedisse tentationi fatearis, & assertio tua veritati consentiat, ego culpam tibi remittam: at verò, si falsum id sit, si veritati minimè conforme, ego te fulmine perdam: hiante terra ad barathrum æternis ignibus cremandum, cum dæmonibus actutùm demergam. Quid hoc casu posito respondebis? horrebis sanè, & dubium te profiteberis. Si dubius es, cui credes? Tibine, cum ea perturbatione, qua nosti te agitari continenter? Postquàm toties illusus fueris, toties deceptus & confusus?

16 Redeo ad definitionem Richardi, qui statuit *illud esse peccatum mortale, quod committi non potest sine gravi corruptione sui*. Quęso aduer-

te, & permitte, vt definitionem hanc, quam ante attuli, vt ſcrupulorum tuorum obiectam materiam convellerem, nunc in caput tuũ retorqueam. Non ſint ergò peccata quæ lethalia eſſe cupis: ſed hoc tibi ſupra modum timendum eſt, ne dum teipſum fruſtra reum conſtituis, in mortalis peccati barathrum conijcias. Committitur mortale peccatum cùm quicquam agitur cum magna corruptione ſui. At quis non videt, conſuetudine interni opprobrij, animum corpuſque exedentis, periculum corruptionis totius hominis imminere? Ingenij, iudicijque vis tota enervatur: ratio tenebris obvolvitur, vt qui alioquin præclariſſima talenta habeat, & doctrinæ & ſanctitatis; inutile pondus efficiatur: nec ſibi prodeſſe, nec reipublicę cõſulere, nec in virtutis tramite progreſſus vllos facere valeat: abijciatur verò ab omnibus tanquam inanis & capite vacuus, qui nec familiæ, neque neceſſarijs, alijſve poſſit opitulari. Neque certè corpus, quod in partem venit morborum animæ, infirmitatibus carebit. Opprimitur enim cor doloribus melancholicis, ex quibus, pectoris anguſtiæ, corruptio ſanguinis, diſtillationes in pulmones, aſtma, pthiſis, cacexia, & habitus vniverſalis pernicioſus, qui denique tabem, interitumque adferant. Toto interim vitæ tempore deſpicientiam & carentiam omnis volupta-

tis

tis patitur: & quamvis divitijs abundet, amicorum honoratorum numero, segetemque rerum omnium; confossus telo interni sui morbi, tabescit & conficitur; nec mali finis donec ad matrem redeat ex qua mortales omnes orti sunt.

17. Illud quoque non prętermittendum, to Christi merita videri parvipendere: de eius clementiâ ac bonitate dubitare. Quid enim? Tyrannum Deum arbitrare, quasi qui alumnos velit suos perpetuam carnificinam pati; eum denique delectari cruciatibus, quibus nulli tetriores atque immaniores in hac tua ærumnosâ vita excogitari, fingique possunt. Scito etiam te redemptorē tuum non parùm contemptui habere, qui ei non credis, cui iudicium, & imaginationes tuas præfers. Ipse enim per servos suos tibi loquitur, quibus vt credas, & pareas severè mandat, quos tamen nec audis, nec sequeris.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Examen conscientiæ, & confessionem sacramentalem, nisi modus ponatur, scrupulosis vitanda tanquam scopulos pernicio-sos.

18 DVo scopuli in vasto hoc pelago navigantibus (qui quarto remedio *Scopuli duo.*

occasionem

occasionem prębebunt) sese offerunt. Cæci illi sunt, & nusquam apparent, nisi apprime oculatis, qui discernere valeant nō modò bonum à malo; sed etiam id quod aliàs bonum est vni, alteri sit perniciosum. Multa namque benè sanis vtiliter propinantur, quæ infirmis noxia sunt. Vtilissimè vinum sobriè ac modice, si sanus es, sumes: perniciose, vrente febri maligna. Cogitare de morte, de extremo iudicio, de peccatis, tum vitæ currentis, tum pręteritæ admodùm salutare, dicentque tibi philosophi, *veram philosophiam in mortis meditatione constitui.* Id suadendum non est, ijs, qui insano metu percelluntur, quique melancholico humore abrepti, plùs æquo, in has cogitationes feruntur, atque ab illis avelli nequeunt: nihilque ipsis perniciosiùs, potest accidere, quàm ijs involvi, quibus postmodùm eximere sese etsi velint, non possint. Quales item esse videntur discursus ac discussiones de rebus fidei; sitne hoc vel illud articulus credendus? Quonam sensu? An ea hora elici debeat actus. Examinationes enim istæ à dæmone oriuntur, vel certè à Spiritu scrupuloso, nec admitti vllo modo debent, præsertim tempore orationis, vel perturbationis; nisi quis se perdere, & ad insaniam velit redigere. Hę namq; cogitationes similes sunt hortulano, qui incautum & minimè prudentem, in labyrinthū inducit.

inducit. alius verò irretitus, exire etsi diutissime laboret, nullo modo valet. Fugit interim ille, & frustra abire conantem irridet ac subsannat. Astu simili errans conscientia, dæmone auctore, imprudentem, timidumq; hominem pellicit inducit & involvit, tot, tantisque cogitationibus, vijs ac medijs, vt denique miretur se exitum invenire non posse, ridente dæmone ac subsannante, nec modum misera, quo ad mentem redeat, valet invenire. Sic auis in laqueos inducitur: sic piscis in retia, qui avidè hamum ignarus devorat, sed eximere sese iam captus nulla ratione potest. Laquei sunt cogitatio peccatorum; eorum, vitæque eius discussio; & quod alijs summo esse possit præsidio ad virtutem; ijs qui violentâ curâ, in eorum fovendâ memoriâ feruntur nullo modo, sed ijdem sibi magnam perniciem asciscunt. *similia accommoda*

19. Scopuli ergò duo illi sunt, nimirum studium conscientiæ discutiendæ; atque exomologesis peragendæ. In hisce namque discussionibus summa inprimis fit iactura temporis. Heri prolixè confessus es, de peccatis tuis; hodie mysteriorum percipiendorum causâ iterum conscientiam putas expurgandam. Illam examinas. At quamdiu? mediâ horâ? Parùm est: horâ? vix satis. Sacerdotem accedis, quem occupas aliâ sesqui horâ. Tandem absolutionis beneficium recipis: alterum *Primus scopulus in examine conscientiæ consistit*

terum

terum illicò examen adhibes, vt tantò purior tremendis mysterijs appareas. Quid examinas? Discussionis non est tempus, sed parandæ devotionis actualis, qua Deo per contemplationē vniaris. Neutiquàm ais, multa omisi, quæ memoriam fugerunt; multa quæ Sacerdos non benè intellexit; redeunt plurima ex prȩteritis confessionibus, quæ minimè expressi. Circunstantias & peccatorum numerum saltem exactum non recensui. Itaque redeundum est iterum, iterumque ad Sacerdotem ante sacrosanctas epulas: iisdemque perceptis, identidem confessario declarandum, non parùm timoris subesse, ne cum sacrilegio mensæ Domini particeps factus sis. Quales istæ næniæ bone Deus! Si filij tui, aut subditi, cum te, mensam ve tuam debent accedere, hoc modo agerent, nonne illos dementes reputares? Ferres hanc insaniam? Patienter secundò id sustineres? Numquid stomachareris, & à te expelleres? Quid agis? Cum omnipotente Deo ac Sapientissimo tibi res est. Arbitraris eum esse tyrannum? Ignarum dementiæ tuæ? Non ægrè ferre, te tribunal misericordiæ, & remedia, quæ ipse ad reconciliationem adhibuit, immanissimȩ tyrannidis carnificinam; in speluncam latronum commutare? Tune sacrarum legum interpres? Tu solus iudex relictus cōscientiarum, & maximȩ tuȩ? Posses intereà ani-

mum

mum tuum præstanti contemplatione imbuere; solatia divinitus immissa delibare; ambrosiam cælestem, in hoc Angelorum convivio, quietè accedentibus tibique inprimis paratam degustare; nectarque beatorum pleno haustu percipere. Itaque manes vacuus hisce bonis omnibus, & rudimentarius, in primis elementis manes, tua culpa, quòd benè monentibus non acquiescas, tuaq; deliramenta sanissimis consilijs præferas.

20 Addo longam istam, ante exomologesim, discussionem, minimè dispositionem esse ad vtilem confessionem instituendam: tum quia post vnam examinis exacti horã, lõgè turbulentiora tibi occurrunt, quàm in initio; & quò plùs parare te niteris; eò te minùs paratum invenis: tum etiam plurimùm tibi de libertate decedit: non enim scis, qua ratione hęc quę commentatus es expones Sacerdoti; & ne illi gravis sis, aut offendas, concludis in te libertatem desiderari. Denique quid certò affirmes prorsus ignoras: vnde plenus anxietate, ac perplexitate confessarium accedis, & denique turbatior ab eo recedis. Omitto confessionem ęquo esse prolixiorẽ; importuna multa ingeri; historias, imò storias multas texi ac retexi; fatigari Sacerdotẽ; offẽdi astantes; à cõfessione arceri; animę tam salutaria remedia odiosa reddi; te magis anxium recedere quã

cum accessisti.

Quanto spatio examen durare debet.

21 Queres forsitan quanto spatio discussiō durare debeat? Respondeo, quotidianam vel vespertinam, horæ quadrante posse confici: et si nihil admodùm occurrat novi; satiùs esse oratione & precibus tempus illud impleri, quàm inaniter cōsumi. Ante exomologesim verò, qui virtuti ac studio perfectionis dāt operam, & quotidiè internum lustrant hominem; sufficiet breviter observationes pręteritorum examinum ad memoriam revocare, excitata simul cordis compunctione. Si qui verò inter eos, angustioris animi sint, ac scrupulosioris; expedit id breviori tempore fieri, quòd perpetuò defectus, eorum animis obversentur; adeò vt eorum vita, cōtinuum examen esse censeatur. Excitent in animo dolorem, & missis scrupulis ad Sacerdotis pedes accidant: quò namque diutiùs different, eò evadent imparatiores.

Secundus scopulus. Confessio intempestiua.

Breuis sit. Ex parte confessarij quid agendum.

22. Ad confessionem quod attinet, salutaria consilia, hęc dari possunt. Primùm, vt confessio brevis sit. Brevitas hæc, tam à Confessa rio exigitur, quàm à pœnitente. Caveat ille, ne magni facere videatur pœnitentis conceptiones inanes; paucis interrogāti respondeat; ne cumulet rationes rationibus: & si solatio opus est, hoc faciet in fine. Permittat afflictam animam ac turbatam sua exponere: præcidat ac decurtet solicitas inanesq;

nar-

narrationes; rarò resumat,nisi verbo tãtùm: quòd si vnum sufficiat,non addat secundum; alioquin nunquam videbit exitum. Pœnitens enim, si quid dicatur, quòd vel in minimo vlcus eius affricet, pungat, aut mulceat, novas telas semper ordietur; & si Sacerdos multis probare conetur assertiones suas; pœnitens qui ordinariè non auscultat, sed conceptionibus suis inhæret affixus, magis obdurescet; obfirmabitur denique vsque ad cerebri offensionem. Quare declinanda est omnis disputatio, atq; affricatio affectę cõscientię breviter ab vno ad aliud transeundum. Caveat etiam atque etiam Confessarius, ne eodem morbo laboret ipse, quo pœnitens torquetur. Malus ille medicus est, qui dum alteri mederi vult, sibi, alterique malum accersit. Quidquid sit de morbis cęteris. Scrupulosus sanum hominem scrupulosum facit: scrupulosum pęnè ad dementiam perducit. Sanus denique scrupulosi commercio, insanus evadit. Qui ergò Sacerdos scrupulosus est, scrupulosum aliò suaviter ableget. *Si cæcus cæco ducatum præstet, nonne ambo in foveam cadunt?* Mat. 15. 14. Non animabit meticulosus pavidum ac fugacem ad pugnam. Nec vllus persuadebit alteri vt tabulã traijciat angustam, vacillantem, ac lubricam, si ipse suasor trepidet, nec exemplo trementem fulciat. Consultus ergò à scrupuloso, caveat Confessarius *Simila appositia.*

ne ceſpitet aut vaclllet]& vacillare à pœnitente deprehendatur. Solidè reſpondeat ac reſolutivè, alioquin vterque a ponte decidet.

Confeſſiones particulares. 23 Illud etiam confeſſario commendatum eſſe oportet, ne ſe facilem prębeat frequentibus ſcrupuloſorum confeſſionibus excipiendis. Nihil enim pernicioſius huic malo curando, quàm id remedij adhibere, in quo pernicies certa conſiſtit. Vt enim ei qui oculo laborat, affricatio ſupra modum noxia eſt. *Similia.* Et qui ſcabie ſcatet in corpore, corporis eam partem deſtr uit, quam vnguibus lacerat: Ita exitialem voluptatem quęrit, qui frequenti confeſſione, quietem ſcabioſę conſcientiæ nititur procurare; eamque nunquàm hac via inveniet; & ſanitatis loco recrudeſcentem lanienam conſequetur. Quare raró admittat eiuſdem rei repetitionem, præſertim facta ſemel aut iterum confeſſione generali: Et quidquid dicat pœnitens, dubitare ſe, an hanc vel illam culpam expreſſerit, non facilè credat, ſed inhibeat repetitiones intempeſtivas præteritarum confeſſionum, atque iniungat, vt nihil fateatur, preter ea, quæ à poſtrema confeſſione admiſerit, præciſis etiam ijs, quę poſtrema exomologeſi, ſibi excidiſſe prętenderit: nulla enim vrget neceſſitas, cum vix illa venialia ſint, quæ prætermiſſa referuntur. Non ſæpius confiteatur quàm ſemel in hebdomade, aut etiam longiùs

gius protrahat. Durum id quidem videbitur: salutare tamen fore, ipsa experientia vsusque docuit. Post confessionem verò instet diligenter ne recurrat, scrupuli exponendi gratia, sed ad mensam Domini in verbo suo, aut certè Domini Iesu, mittat; discatque ipse pluris sanctam obedientiam, quàm stolidas conceptiones suas facere.

24. Vt autem talis confessiones generales, post quã aliquoties bona fide fecerit, recognoscat, nullo modo permittendum erit. Si enim perniciosum est, frequentiùs ob rem vnam, aut alteram leviorem ad Confessariũ accedere; quantò magis copiosissimam segetem rerum præteritarum, quæ animam toties exulcerarunt aggregare, sigillatim discutere, volvere ac revolvere, verbis denique idoneis prudenti arbitro sapienter exponere. Quicumque enim id temerè attentat, haud dubiè sese gravissimo periculo exponit, vel manię vel certè lædendi capitis, seseque reddendi inutilem ad res gerendas, tũ officij sui proprias, tum reipub: aut demum ad Ecclesię Dei obsequium; imò saluti proprię consulendum ac succurrendum. Nec multùm curet Confessarius, si homines isti molesti sint, sæpeque recurrant. Certùm est & importunos esse, & imprudentes, & patientes, armatosque contra omnes reprehensiones, muscisque revolantibus molestiores

Generales, quoq; quo modo admittendæ.

ores, quasi memoriam omnem & iudicium excusserint. Sed contra hæc omnia constans & fortis stet Confessarius, nec verbis eorum mollibus moveatur, nec apparentes rationes magni faciat. Iubeat ordinem à se præscriptum servari; sicque speret fructum consilij sui non brevi inanem futurum, quem magna sua, & pœnitentis consolatione recipiet.

2. *Brevitas ex parte pœnitentis.*

25. Quoad pœnitentem, eadem documēta ipsi (vti necessaria) ita suscipienda, atque amplectenda erunt, præsertim à directore præscripta, eaque tanquam, si ab ore Dei manarent, lubens admittat; iudicium suum eiusdem sententiæ, aut veriùs Deipsius, postponens. Ab eodem verò pœnitente, comprimis requiro, *vt sibi persuadeat, se nunquam sanatum iri ni velit sanari,* Hoc inquam exigo summis votis, vt iuvari velit, & ex animo optet, non modò curari, sed etiam sanari. Quod non frustra requiro: nonnulli namque ita suis affectibus indulgent, vt hisce conscientiæ scabiosę confricationibus, tanquàm delicijs capiantur, & quod tormenti loco esse deberet, vertant in voluptatem. Et licet iuvari velle se profiteantur, id neutiquàm proficiendi causâ, sęd proritandi mali, quod habent in delicijs, faciunt: quales illi qui cibis insipidis, & à sensu communi alienis palatum irritare gestiunt. Hoc advertat Confessarius, & ante omnia instet, vt velit infirmus, certò

Simile appositū.

&

& absolutè iuvari, ceteròqui abigendus, nisi certis documentis ac indicijs, animi sui constantiã, firmamq; resolutionem probaverit.

26. Quod vbi obtinuerit Confessarius, doceat; duplicem cacodæmonem esse suadendę dissuadendæve confessionis. Eorum enim alter, cum & necessitatem peccatoribus, & iustis emolumentum institutę à Christo exomologesis, testatum habeat, suadet ijs omnino, ne faciant; & quantùm potest horrorem istius subeundæ ingerit; difficultates, infamiam, mutationem morum, tanquàm impossibiles, confessariorum abiectionem, severitatemq; exaggerans. Alter verò omnino oppositum suggerit, & multis suadere nititur, adhibita etiam naturæ complexione velut instrumento ad persuadendum, inducendum, inconditum caput, à confessione nunquàm desistere. In hoc solo securitatem, salutemq; consistere; vrgere preceptum divinũ. Pœnas peccatoribus destinatas, conscientię vim ac prescriptum dirasq; interminaturi cõscientiæ afflictæ pareat: indignum illũ cõtestans cælestibus epulis, ni peccata ei detegat, quẽ arbitrũ, Christus cõstituit; sine quo remitti nullo modo posse ipsa divina oracula denuntiant. Hisce aut similibus rationibus perturbatos animos involvit malignus spiritus. Quibus confessarius opponet atque inprimis eas suasiones ab adversario generis

Confessionis suadẽda, vel dissuadẽda duplex dæmon.

humani proficisci: turbatum animum sibi credere non debere. Hortatur in mentem revocet, se frequentissimè illusum atque deceptum: errantem deponat conscientiam: quę in dubium revocat validitatem præteritarum confessionum: existimet directores suos esse viros probos, prudentes non temerarios, quique rationem pro sui pœnitentis anima reddituri sint; denique necessariũ esse, id sibi persuadeat; alioquin fore vt in perpetua lucta, ipse afflictus conflictetur, victusque hosti succumbat, ac subiaceat.

Scrupuli non sunt in confessione audiendi. 27. Vtile etiam maiorem in modum erit, si scrupulosus, scrupulos suos de industria prætermittat, dataque opera non confiteatur, præsertim vbi ita visum erit confessario: frustra enim illa fatetur; aut enim peccata sunt; aut non: Si peccata non sint, silere omnino necesse est; cũ incredibiliter animo turbato noceat huiusmodi scrupulos refricare: Si peccata esse extra cõtroversiam sit, breviter ea explicet, donec prohibeatur id à confessario facere. Potiùs accuset, se inobedientem esse Deo, confessario, & rectæ rationi, qui statuunt certò ac firmiter ea, ex spiritu scrupuloso confiteri gravi peccato non carere: quod pœnitẽs sibi persuadere debet, alioquin huiusmodi culpam (quę in scrupulorum confessione consistit, nec vulgaris est) nullo modo remissum iri, & indispositionem esse

ad

ad sacra mysteria accedendum, ac percipiendum. Contra evenire solet. Toti sunt enim scrupulosi, in accusatione ac condemnatione sua, de rebus quibus affliguntur quidem, in quibus tamen minimè sunt culpabiles. Ea verò, quæ verè & propriè peccata sunt, prætereunt. Quis enim scrupulosus ita se accusat. Mi pater, confessarios permultos accessi: omnes consentientes ac vniformiter statuerunt multisque inculcarunt, desinerem scrupos meos exponere: acquiescerem suis, imò Christi Domini monitis, & deliramenta mea abijcerem: non pareo; sed iudiciũ scrupulosum præferens præfractè ac pertinaciter, semper redeo ad ingenium: accuso ea quæ peccata non sunt; delicta verò ac enormes defectus meos prętermitto: obruo memoriam infinitis nugarum nugis; sæpeque occasionem sacrilegæ absolutionis prębeo; quia materiam non subijcio. Non enim confiteor scrupulos meos cum voluntate abstinendi (Quî enim possum?) nec cessare statuo ab infructuosa hac confitendi ratione; nihil verò quod materia sit absolutionis adfero, quo fit, vt nec gratiam Sacramenti recipiam, & me gravissimo scelere sacrilegij obstringam. Vitandi ergò erunt hi duo examinis & confessionis scopuli, si quis in eos nõ impingere, aut se à discrimine naufragij mentis suę eximere ac vindicarę voluerit.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Iniuriam divinæ clementiæ per scrupulos irrogari.

Remediũ 28. PRædictis etiam & hoc consilium, ac documentum subijcio. Consideret iterum, iterumque, qui insano hoc malo laborat, quàm alienum sit, hoc ærumnosum vitæ genus ab eo, quod Redemptor generis humani, sapientissimè instituit: quod vt cõplectamur mandavit; propter quod è cælis in hanc malorum omnium voraginem delapsus est, sibi dolores nostros imponens, vt nos à nostris eximeret. *Venite* (inquit) *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me: quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Quemadmodum idem Dominus, per Moysen præmonuit: sicut *aquila provocans ad volandũ pullos suos, & super eos volitans & assũsit eos & portavit in humeris suis. Quoties vos volui cõgregare, sicut gallina cõgregat pullos suos sub alas. Mãdata mea gravia non sunt.* Quàm longè hæc oracula (quæ curationem, familiaritatem cum Deo, iugum suave denuntiant; Alæ quoque gallinæ atq; aquilę, quæ divinam protectionem, consolationem, amplexumque amabilem designant) à cogitationibus

Vitæ scrupulosæ immanitas.

Mat. 11, 28.

Deut. 32 vers. 11.

Mat. 23. 37.

cationibus perplexis, desperatione plenis; à tyrannide denique conscientiæ dissidêt. Observa miserande, te dum teipsum calumniaris, & opprimis maledictis, Dei clementiã oppugnare; ipsum statuis ac denuntias, nolle tibi mederi; nolle te ad se accedere; eundemque non desiderare onus morbosq; tuos suscipere; ferreq, recusare. Negas ipsum esse benignum, humilem, mitem: imò protestaris ipsum crudelem immanemque tyrannum; iugumque eius ac leges esse intolerabiles. Non aquilam, non gallinam, sed miluum voracem, tygridem, leonem, & id genus feram, tetramque bestiam Hæc, inquam, profiteris, cum teterrimum vitæ genus, ab omni humanitate alienissimum, in animum tuum inducis eique pertinacissimè adhęres, & (postpositis omnium sapientum consilijs) retines ac reservas.

PARAGRAPHVS SEXTVS.

Testimonium conscientia, constantemque in obsequio divino voluntatem; plurimùm scrupulis contemnendis esse adiumento.

29. HÆc dosis ex horto tuo colligenda ac depromenda erit. Intra conscientiam

Voluntas Deo serviendi, magno adiumento esse extinguendis scrupulis.

am tuam considera optimã, ac sincerissimam voluntatis tuæ dispositionem, non modò præsentem, sed quam ab annis plurimis constantissimè custodisti; hanc adde resolutionem, votis fortissimis obfirmatam; malle te, infinitis tormentis dilaniari ac discerpi, quàm à Dei amicitia ac lege recedere. Vnde hęc constantissima resolutio? An à te? Non. A quo ergò? Nonne à benignissimo numine, eiusq; spiritu, ac gratia quæ in te domicilium sedemque fixerunt. Sunt ergò in te Dei amicitia, eiusdemque spiritus, ac gratia quæ hominem Deo gratum efficit. Quid igitur trepidas? Quid metuis, quid nugaris, te cælestibus invisum, odiosum, ideoque diris omnibus devovendum?

30. Addo si tot peccatis mortalibus, vt comminisceris scates, si blasphemus, si hæreticus, si impudicus, alijs nefandis criminibus obstrictus; cur exteriùs erumpit nihil? Cur in te tanta modestia, cùm in oculis, vultu, ore, sermone, gestu; tum toto denique corpore elucet? Cur truci facie, feris moribus, ore petulanti, procacibus verbis efferus non appares? Cur non solicitas eos idoneis modis, per quos libidinem tuam explere possis? Certè si crimen vel vnum ex his in te resideret, mille alia aggregarentur. Tales enim aues solitariæ non volant; *sed abyssus abyssum invocat,* & peccatum suo pondere, in malo-

Psal. 41. 8.

rum

rum voraginem peccatorem pertrahit. At nullum in te cernimus, animadvertimus, imò ne vestigium quidem eorum quibus te inquinatum calumniaris, observamus.

31 Huc accedit, te annis quàm plurimis, augustissima sanctissimi corporis Christi Iesu sacramenta pijssimè, omnium confessariorum tuorum iudicio, frequentasse: Si ea scelestus (vt teipsum prædicas) percepisses, quẽadmodum ij qui dignè percipiunt, in spiritus cælestes evadunt: te in teterrimum cacodæmonem dudum evasisse, eventus ipse doceret; vt Iudas te infami trabi affixisses; iugulum tuum concidisses: pręcipitem ex alto te dedisses. Horum nihil fecisti. Durat ac perseverat voluntas Deo obsequendi, animam exponendi pro eius gloria: carendi omni voluptatum genere potiùs, quàm vt vel vni illicitæ acquiescas.

32. Est autem voluntas ista scutum, quo à divina providentia protegimur, ne hostes invadant, auctore pijssimo Rege qui nos in hunc modum alloquitur. *Scuto circumdabit te veritas eius*: *& scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Quare graviter erras, si te sagittis perfossum credis. Quomodò enim coronat te Dominus, si turpiter bello cecidisti? Si hosti manus dedisti? Si scutum & hastam abiecisti? Non est ita. *Scutum* hoc *bonæ voluntatis* impenetrabile est. Hoc novit adversarius noster

Psal. 90. 5.
Psal. 5. 13
Psal. 5. 13

noster: ideò non amplius sagittis contra huiusmodi bonæ, firmæque voluntatis scutum agit, sed illud erroribus; fraude; doloque evertere, eripere, ac convellere nititur. Quãdiu enim illud fortiter, constanterque à nobis retinetur, vinci, ac penetrari pectus humanum nullo modo poterit. Ita Rex David

Psal. 90. 5. prosequitur. Cùm enim dixisset: *scuto circũdabit te veritas eius*: addidit. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris; ab incursu & dæmonio meridiano. Non accedet ad te malum, & flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo.*

Ex parte divinæ protectionis: 33. Huc facit quòd sacræ paginæ, nõn modò nobis protectionem; è cælis pollicentur; sed etiam promittunt, nos divini numinis brachijs complectendos, portandosque esse.
Osea. 11 3. *Quasi nutritius Ephraim portat te in brachijs suis.* Id ipsum testatur sponsa in canticis. *Læva eius*
Cant. 8. 3. (ait) *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læva* fortunam adversam; prosperam *dextera* significat. In adversis caput nostrum divina benignitas sustentat, ne vacillet, ne despõdeat animum. Eadem in prosperis cingit vndique, ne difluamus, & ad illicita proruamus.

34. Verùm illud quoque est, quod auribus nostris, haud raro accinitur. *Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis*

illis: quia tu es Dominus Deus noster. Amat enim omnia, quæ sapientissimè condidit, & neminem vult perire. *Non venit* Dei filius *vocare iustos, sed peccatores. Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Denique. Eorũ curam gerit; *solem suum oriri facit super iustos & iniustos.* Quid? solicitus erit de lilijs agri; de folijs arborum; de iniustis; de adversarijs suis: & amicos suos; & filios suos deseret? Eos inquam, qui animam suam dare, pro eius gloria parati sunt? Audiamus quæso Richardum à S. Victore. *Nemo de Dei bonitate diffidat; quia maior est misericordia eius quàm nostra miseria: & quisquis ad eum toto corde clamaverit, exaudiet eum, quia misericors est. Tardiùs enim videtur veniam dare, quàm ipsum peccatorem accipere: sic enim festinat reum absolvere à tormento conscientiæ, quasi plùs eum cruciet compassio miseri, quàm ipsum miserum compassio sui.* Ex quibus, pijssimi ac doctissimi Richardi verbis colligere licet, quid nos de Dei bonitate sentire conveniat, qui erga immeritos tam effuso studio ac benignitate fertur ac propendet.

35. Dicet aliquis. Qui fit quòd vera esse sẽtiam, quæ hactenus commemorata sunt, speremq; me Deo ac Domino Iesu sic adhęrescere, vt nec prece nec pretio ab eo diuellar: & tamen subinde sic ab eo diffidere vt vrgẽtibus perturbationibus in ipsa scelera ferri to- *Fluxus & refluxus scrupulorum. Observando.*

to animo,& obiecta crimina complecti videar. Vt respondeam, hoc te præsupponere velim,diuersa tempora esse discernenda. Tempus lucis, & tempus tenebrarum. Diem gaudij, & diem luctus. Tempus quietis & tranquillitatis, & tempus perturbationis. Tempus consolationis, & tempus tentationis. Id videre est in febri tertiana, vel quartana, quæ velut insanæ, certis temporibus recurrunt. In amoribus item illicitis, qui modò displicēt & detestabiles apparent; modò arrident & velut honesti cōplectendique alliciunt; nec pungunt ipsi aut lancinant, donec suscepto scelere, dolor alias conceptus ac pœnitudo recrudescat. Idem vsu venire solet in scabiosis illis consciētijs,quæ subinde de perturbatione triumphare videntur, sed parùm malacia illa durat: reuertitque febris ac pruritus,qui trāquillitatem omnem exterminat.

Duplex in homine natura.

36. Illud quoq; maiorem in modum obseruandum: in homine duplicem esse naturam: alteram superiorem seu rationalem. Alteram inferiorem seu animalem, in qua brutis simillimi esse censemur,& vt de hac primùm loquamur: perspicuum esse, bruta animantia constare anima, sed bruta & animali, in qua duæ sunt facultates, phantasia nempe, & appetitus sensitivus. Quod in homine rationali est intellectus; seu oculus mentis, vnde iudicium nascitur; in bellua est phantasia quæ

Bruta. eiusque propensiones ac motus necessarij.

quæ quidem eò quòd rationem ducem non habet, nec voluntatis liberam electionem, quod agit necessariò agit & non ex electione aut libertate. Quare cùm felis fertur in murem, quem videt, lupus in agnum, equus in equam, ideò fit quòd ex visu & imaginatione motus in appetitu sequitur, qui quidē appetitus, cum iudicium certius non habeat, quàm quòd ex imaginativa, quæ tāquam bonum ipsi suum repręsentat, oritur, illicò in rem illam tanquam bonum suum, quod appetitionis propri obiecta est materia, sic ergò felis in murem fertur cœco quodam desiderio ac impetu: lupus in agnum. Et de equo ita Virgilius. *Vtitque videndo fœmina.* dū videtur fœmina & apprehenditur per phantasiam, motu quodā rapiente, equus hinnit, & fertur in obiectum, quod sibi optimum reputat. Petò primo abs te, peccatne equus, dum hinnit dum equam appetit, & sensu concupiscentis animi demulcetur; dum medullitus feritur, tanquam cœco quodam telo quod avertere illi omnino impossibile est. Non. Cur ita? Duplici capite. Primum, quia iudiciū rationis ac libertatis origo in eo desideratur. Deinde quia appetitus ille posita sola phantasiæ apprehensione, sine libera voluntatis electione necessariò sequitur. Feritur quippe sensus telo quodam inevitabili: nec vnquam pręce-

dit animalis apprehensio de bono suo vel malo præsenti, cuiusque cognitio, quin illicò sensus ille intima viscera percellat aut demulceat; minimeque cesset appetentia boni illius præsentis, donec eo fruatur eo modo quo natura fruendum suggerit ac inclinat.

Descriptio partis inferioris

37. Idem nobis solet accidere. Nos enim belluæ ex parte inferioris hominis sumus. In ea enim solitaria, ratio non magis viget, quàm in bestijs: sed duæ potentiæ imaginativa & appetitiva animam illam inferiorem perficiunt, & aptam ad operandum faciunt. Miraque in somnis quandoque experimur, ac patimur quæ vigiles nullo modo admitteremus. Et vigilibus quidem, haud rarò, rationis sedem perturbationes ac passiones invadunt atque occupant, quo tempore pars inferior officium brutum exercet: fitque subinde, vt advertat quidem ratio, possitque impedire, sed delinita, blandienti voluptati fragilis indulget, ac succumbit, non sine gravi scelere, quod volens perpetrat vel permittit. Subinde verò, ita lumen rationis ijsdem oppositis perturbationibus obnubilatur, vt etsi aliquid sentiat, discernere tamen, aut ipsas passiones impedire, atque amoliri nullo modo possit. Quis verò dixerit ijs positis obstaculis, hominem reum effici læsæ maiestatis divinę, scelereque obstringi in eo, quod impedire & avertere nō potest.

Quando in ea peccatum, quando non.

38. Pari

38. Pari ratione sæpè suggestio, & simul necessarius inde motus consentiens, rationis considerationem prævertit, vt citiùs irrepat suasio, vel maligni spiritus, vel inconstantis atque inconditæ phantasiæ ferientis appetitum sensitivum, quàm eadem videri arcerique valeat. Ex his sępè nulla culpa resultat, nisi quatenus rationis vis officio defuisse judicaretur.

39. Quinam ergò actus interni reos nos efficiunt? Illi certè, qui à parte superiore tàquam hominis totius præside admittuntur. Duæ enim facultates primariæ in illo tribunali hominem complent ac perficiunt, intellectus, lumine rationis, illustratus; & voluntas libertatis omnis origo, princeps ac domina, cui, si res nefanda objiciatur, vt discernere valeat bonum à malo; & hanc admittat, scelesta ac perduellis; si bonum & laudabile; ęqui bonique amans audiet. *Rationalis.*

40. Nunc redeo ad objectionem mihi factam. Occurrit ergò in phantasia motus talis qualem equi imaginationi superius subiecimus (seu ex visu, auditu sive ex dęmonis impulsu excitatus) & ex eodem illicò, motus appetitus ruentis in illicitam voluptatem; peto abs te, est hoc crimen admisisse? Dicis quod sic. Vrgeo. Cur potius admisisti quàm equus? Quia inquis, ratione præditus sum, non equus. Insto. Vsus es, aut etiam vti pote- *Motus animales non esse peccata.*

tas ratione? Poteras impedire suggestionem illam, & motum subsequentem? Nequaquam. In quo ergò, in hoc facto differs ab equo? Etsi in fatuo, aut in pusione talis motio excitaretur, eos crimen admisisse putares. Id asserere non potes. Nec ergò tu criminis reus iudicandus es. Duo enim illa quę in equo obseruauimus in actu illo tuo concurrunt: defectus, nempe vsus rationis & libertatis obstaculum. Cùm enim necessitas hoc agendi tibi incumbat, argui nō potes criminis, vbi non vt homo, sed vt brutum agere compelleris. Occurrit præterea quasi

Suggestiones contra fidē. sermocinatio hæc in animo tuo, quomodo Deum amare potes, qui ita te cruciat? Quomodo eius matrem (quæ tibi non opitulatur) alijs mulieribus meliorem arbitrabere? Et qui fieri potest, vt in tam exigua quantitate hostiæ, tam sanctum Christi corpus dilitescat? Ne crede, etiam abominare. His plura

Blasphema. nefanda suggerit teterrimus cacodæmon è cœno blasphemiæ. vt etiam persæpè è fornace iracundię diras imprecando nunc parentibus; nunc prælatis; nunc concionatoribus atque alijs, quę referre minimè necesse

Iracūda. est. Frequentissimè verò humor melancholicus has aut similes suggestiones generat. Me dæmon abripiat. Quin dispeream. Te è turri hac dabo præcipitem. Idem humor has aut similes calumnias euomit. Hic Prælatus

latus est maleficus: ille scortator: iste adulter. Dic iam amabo : hi motus atque impetus, quos audire videris in te, & dicis te elicere: suntne peccata lęthalia? sunt enim ordinarie motus primo primi, id est non liberi; à dæmone non raro excitati, quos omni tua potentia & qualibet humana arcere ac impedire non potes. Itaque ne peccati quidem nomen proprie merentur. *Imprecationes.*

41 Dices. Diutiùs te in ijs immorari, non reijcere, delectari. Peto, an ea ipsa tibi grata sint? An cum delectatione, præmissa deliberatione ea complectaris? Absit inquis? quis enim tam fœda, tam detestabilia, non horreat? Ergo magis meriti ac coronæ, hæ tibi segetem præbent, quàm culpæ. Hoc addam sæpe contingere, tam vehementes esse atque importunas huiusmodi cogitationes, vt impossibile sit eas vel abigere vel etiam excutere, & quantumcumque quis eas abigat, eo importuniùs redeunt & agglutinantur. Quare cum invitus quis eam afflictionem patiatur; omni culpa; omnino est liberandus. Verùm quidem est difficile fore, ita sagaciter ac sedulò te habere, vt non subrepat aliquando nonnulla negligentia; illa tamen est dignissima venia; tum ob rei ipsius subtilitatem; tum ob infirmitatem afflicti animi; tum denique propter vim impressæ atque impactę suggestionis; quæ cùm fre- *Scrupulos nō esse peccata.*

quentissima sit ac molestissima. fatigat hominem ipsumque cogit subinde vigilantiam atque observationem remittere.

42. Vt autem huiusmodi impressiones ad gradum vsque peccati mortalis perveniant rarissimè in viris bonis contingit. Primò; quia Dominus non permittit nos tentari, supra id quod possumus; sed facit cum tentatione proventum, vt possimus sustinere. Experientia sane docet, idiotas ac maximè simplices virgines, prudentissime se habere, quoad consensum; ac nunquam certo iudicio demonstrari probárique (etiamsi admodum timide de eo loquantur) illas tentationi acquievisse.

Longè minus mortalia

43. Deinde nemo ex bono fit repente pessimus. Deterrimus certè is esset, qui tam enormibus peccatis consensum absolutè ac deliberate preberet. Huc accedit definitio peccati mortalis superius ex Richar. desumpta. Corrumpi nempe necesse esse hominem, qui illud suscipiat. Quis verò credat ob rem tam nefandam, momento tantùm obiectā, virum bonum ac sanctum procreare sui corruptionem; Dei item contemptum gravem; proximi ruinam; & alia infinita damna, quæ peccati lethalis consensum sequūtur.

44. Mea sane sententia est nullas tentationes minùs esse periculosas, & in quibus minùs peccatur, quàm in tali scrupulorum materia

teria. Odiosissima enim sunt, & omnibus abominabilia, quæ suggeruntur: nullum in ijs emolumentum; voluptatis illecebra nulla; summa culpæ enormitas; fruitio ipsius obiecti in corpore sępe impossibilis. Quis ergò non abhorreat, non execretur, nō detestetur? Execrari verò nefanda illa & detestari, longissimè à consensu dissident: & consequenter à culpę admissione. Soletur ergò se quicumque hæc patitur: tantùm conetur se eximere hoc morbo; velit (vt diximus) curari ac sanari. Hunc miserum statum nō amet; credat benè suadentibus: & si sanitati reddatur, gratias Deo agat; sin minùs, arbitretur se Dei causa tentari & affligi, seq; genus martyrij in hac vita sustinere, propter quod corona nobili non privabitur, auctore spiritu divino qui dicit. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam Deus repromisit diligentibus se.* Iacob. 1. 12.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS

Fidem & obedientiam, præsentissimum extinguendu scrupulis esse remedium.

45. QVæ hactenus diximus, magno iuvandis animis afflictis sunt præsidio: quanquam afflictio pręsens, non ita ex tempore sanari possit: recurrit enim sedata,

& recrudescit, ac sæpe crudeliùs, quàm cùm nos aggressa fuerat. Quæ verò hoc postremo paragrapho allaturi sumus, perpetuò seruiunt: & qui hoc subsidio vti non possunt pro desperatis censeri debent. Fingi à nobis denique possunt duo remediorum genera. Alterum, admirandum, insolitum, & fortè nihilominus incertum: à nobis verò, & potestate nostra remotissimum: nempe vt proximè, à Deo quotiescumque hallucinaberis, è cęlis nuntius adveniat, qui de statu conscientię tuæ te reddat certiorem: qui primùm omnium tristitiam à te omnem submoveat: deinde ità tibi ex parte Dei omnipotentis renuntiet. O amice Dei, ne despondeas animum. Tu Dei es amicus, te infinito amore complectitur; tibi corona in cælo parata est. Timere noli: quæcumque pateris, pateris equidem. Non istæ tuę sunt cogitationes, sed dæmonis, sed naturæ, melancholico humore affectæ; sed phantasiæ turbatæ, & inconstātis. Quare esto bono animo, peccata tua à Deo remissa sunt. Verùm modus iste, non tantùm ineptus est, sed etiam vitiosus. Deū profectò tentat ille, qui hominibus, quos ei Deus præfecit, relictis, ad oracula cęlestia recurrit. Dic amabo preterea. Vnde scies Angelum Dei esse eum, qui te alloquitur. Nonne *Angelus satanas transfigurat se in Angelum lucis?* Nonne & falsi prophetæ, qui prophetant

Duo genera remediorū.

2. Cor. 11. 14.

1. Ioan. 4 1.

tant de corde suo, & in nomine Domini mēdaciter? *Probandi spiritus, vtrum ex Deo sint.* Prov. 3. 5
A quo cognosces, quo spiritu ducaris? A tuone an alieno. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, ait scriptura divina. Ne credas spiritui tuo. Nemo in propria causa, iudicio suo fidat. Si alieno spiritu tibi vtendum sit, vteris prophetis prophetantibus mendaciū, qui spiritū Christi non habent, *quorum Deus venter est, & gloria eorum in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Philipp. 3. 19.
Restat ergo vt ad illud præsidium confugias, quod Sapientia divina Ecclesiæ ordinavit, ac præscripsit.

46. Quærendum nimirum alterum remedium, licitum, certum, præsens, infallibile, perpetuum quo iuvari possis, decipi non possis. Conficitur verò hęc medicina, duplici pharmaco: *fide* nempe viva atque *obedientia*. Vtraque valet plurimùm ad iudicij proprij proterviam deprimendam, ad præfractæ voluntatis contumaciam retundendam. Qui iudicio proprio non vtitur facilè dicenti credit. Qui verò obedientię studio tenetur, voluntatem suam alteri haud gravatè subijcit. Qui duas has facultates, superioris directioni submittere, seséque totum tradere valet, virtuti hic maximè vicinus est, & scrupulorum superandorum præsentissimum remedium nactus Ita nos hortantur sacræ paginæ, *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim* *Obedientia ac fides.* *Probatur ex Scriptura.* Hebr. 13 17.

Tobi. 4. *pervigilant, quasi rationem pro vobis reddituri.* To-
19. bias quoque filio suo, *Consilium* (inquit) *à*
Directores animarum. *Sapiente semper inquire.* Sed Christi oraculum, decretumque perpetuum, omnium excedit testimonia. *Qui vos audit, me audit; & qui vos*
Luc. 10. vers. 16. *spernit me spernit*: quibus omnibus homines constituuntur *animarum pastores, consiliarij & medici.* Ideò à B. Paulo præpositi vocantur qui præsunt. Et Propheta ait. *Imposuisti homines super capita nostra.* Homines inquam, non Angelos. Si ovis pastorem sequi nolit si alijs aggregari, quid mirum si erret, si à lupo iuguletur. Iugulabere; certò certiùs aber rabis, si pastori dicto audire nolueris. Abripieris à dæmone, qui circuit quęrens quem devoret, cui resistendum fortiter in fide. Tibi
Eccle. 6. 6. quoque *consiliarius vnus è mille deligendus*: At quem deliges pręter eum, qui rationem pro
Consiliarij. anima tua redditurus est? Quære denique medicum. At qualem? Eum, non qui lo-
Medici. quatur placentia, nec qui vlcera demulceat, sed qui putridam carnem amputet: pus exprimat, vulnusque detergat. Vęrum vtique medicum. Eum sapientem iudicabis. Ei dicas, te proprij iudicij lepra laborare; Ei cœcæ voluntatis vlcus aperias. hęc prima ad sanitatem via. Id deinde certò tibi persuadeas, illum cui te sanandum formandumq; tradidisti non propriam personam gerere; sed eius qui fallere nec falli potest, Christi Iesu

veri

veri pastoris ; veri , magnique consiliarij, verissimi, certissimique medici. Adde consequenter & hoc; vt quæcunque medicus ille tibi præscripserit, etiamsi (iudicio tuo) à ratione aliena videantur , eadem tamen ipsa suscipias, probes, complectare , & exequare. Petes forsan qui fiet ; vt contra mentem, iudiciumque meum amplectar, quod sensibus & rationi repugnare videatur ? Id tamen tibi præstandum est, si sapere velis. Nonne idem quotidie facis ? Proponitur tibi credenda resurrectio mortuorum : veritas vasti corporis Christi Domini sub exigua particula : vnus Deus in tribus hypostasibus existens. :Incarnationis arcanum : vt is qui homo est, idem & Deus esse credatur. Hæc sensui, & rationi humanæ minimè consentiunt ; credis tamen, & pro tuitione eius veritatis, paratus es animam tuam exponere. Ita tibi faciendum est ,vt nimirum intellectum tuum sponte adducas in obsequium fidei. Et credas dicenti *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Quam varia pastores quotidie denuntiant ad salutem necessaria, eaque ipsa sine discussione amplectimur ac veneramur. Cur ita ? Quia idem Servator ; *super cathedram Moysi (ait) sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quacumque vobis dixerint servate & facite ; secundùm verò opera eorum nolite facere.* *Luc. 10. 16.* *Matth. 23. 2.*

47. Quæ

Ratione. 47. Quapropter quicumque ad perfectionis culmen aspirat; hoc statuat necesse est. Nihil esse quod altiùs hominē evehat, quàm submissio illa spontanea Christi nomine facta Sacerdoti, qui ei iudex & medicus datus est ad iudicandum de conscientia, medendumque morbis occultis, in quibus dignoscendis, quisque meritò cęcutire se, censere debet. Illa nempè est securissima via, ideoque; eam Sapientia Dei, Filius ęterni Patris elegit ac instituit tenendam, sequendamque in dubio, in qua nemo aberrare à vero, nemo falli, decepique potest. Voluit enim Dominus in dubijs nos ad Sacerdotes habere recursum. Voluit quicquid illi dixerint, vel mandarint, seruandum esse, tenendum, & faciendum. Probat ergo Dominus iustum & æquum quod dixerint, etiamsi ex causa aliqua hallucinarentur. Falli non potest, qui Christi scita, legem, iussaque; sequitur. *Labia Sacerdotis*, ait Malachias, *custodiunt scientiā, & legem requirent ex ore eius*; *Angelus enim Domini exercituum est*. Hunc Angelum nō cælestem debes consulere, & certiora audies, quā ab eo, quem sine temeritate haud posses exoptare ac requirere. Propone huic Angelo dubia tua, & crede, non modò te nactum esse de cælis Angelum, sed etiam Dominum Angelorum.

Malachi. 2. 7.

Ratio denique consentiens omnium Docto-

rum,

rũ, huic veritati suffragatur. Moraliter quippe certum, tutumque esse, quod à viro prudente definitum est, etsi, id, in quo afflictus culpam reformidat, culpam contineret, eundem tamen nullo modo delinquere, sequendo sapientis iudicium; eò quòd in re dubia moralem adhibuerit diligentiam, meritoq; à peccati labe excusandũ corã Dei tribunali venire: Quãtò magis scrupulosus, qui cõfessarij aut superioris iudicio se submittit, doctorum omnium calculo ac sẽtentia subnixus: temerariè enim verò, imprudenterque ille ageret, qui talis viri rationibus ac monitis sese opponeret. Idque iudicio Cassiani, qui, *nullo*, inquit, *vitio alio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, & perducit ad mortem, quàm cum neglectis consilijs seniorum suo iudicio persuaserit, definitionique confidere.* Hæc ratio sequendi consilij alieni subinde miraculo confirmata est. Cùm enim ex alumnis S. Bernardi quidam non posset conscientiam deponere, nec ad sacra mysteria celebranda accedere, dixit ei, idem Beatus Bernardus. *Vade frater, & in fide mea celebra.* Obedivit ille simpliciter, & candidè & actutum molesta illa conscientię agitatione in perpetuum caruit. Hactenus de scrupulis.

Colla. 2. cap. 11.

Obedientia miraculo confirmata.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE ORATIONE MENTALI.

STATIO SECVNDA MOYSIS IN MONTEM ASCENDENTIS.

DE VIA ILLVMINATIVA. DE ORATIONE MENTALI.

Proficientibus & perfectis non deeſſe laborem, ac impedimenta quæ ſuperent.

TEXTVS DECIMVSTERTIVS.

Cumque aſcendiſſet Moyſes.

Perfectio viatorum maximè amovendis impedimentis continetur.

1. HActenus in via purgativa verſati ſumus. Inſtruximus rudiores, incipientibus rudimenta propoſuimus, quibus ad profectum aſpirarent, proficereque inciperent. Agendum modò de pro-

profectu, vt qui proficere cœperint viam aſpiciant clariorem, illuminentur ipſi, vt iter agnoſcant, & obvia quæque impedimenta proſpiciant, illuminatique caveant ac declinent: denique ſectentur ſemitas viaſque cõplanatas in quibus cum voluptate procedant.

Perfectio viatorum maximè in amovendis impedimentis continetur.

2. Illud tamen in vniverſum ſciendum eſt, totam pæne perfectionem, quę in hoc mundo haberi poteſt propemodum cognoſcendis, amovendis, ac ſuperandis, impedimentis contineri: eam velut diſpoſitione adornari, qua ſenſim cuiuſlibet virtutis, ac perfectionis forma, Deique operatio in nobis locum habeat, & introducatur: ſi enim amoliri impedimenta poſſimus (quod ſummopere ſuprema bonitas, quæ ſe animis noſtris inſinuare deſiderat, ſtans & pulſans ad oſtium cordis noſtri, exoptat) formam ipſam conſecuti ſumus. Id in igne clarum eſt: exhauſto namq; pulſoque ex ligno, vi caloris, humore, ignis victor ingreditur & lignum populatur. Rupta glacie, aqua quæ ſubiacet, in noſtram poteſtatem redigitur. Fractis, expugnatiſque mœnibus ac ſublatis obſtaculis, civitas cedit oppugnanti. Rupto cortice, nucis nucleus in cibum cedit frequentiùs. itaque cum hîc mentio fiat aſcenſus, mirum eſt nihil dici de converſatione ipſa Moyſis cum Deo. Iubetur aſcendere, cùm ait Dominus, *aſcende in*

Similia.

 montem

montem. Vetatur populo aſcenſus: interdicitur idem ſacerdotibus, niſi ad certum ſpatium. Deinde de Moyſe dicitur *aſcendens Moyſes*, tum, *ſurrexerunt Moyſes. Et aſcendens Moyſes*, Denique *vocavit Dominus Moyſen de caligine*. Ac de ijs quæ ſecuta laborem aſcenſus ſunt, pauca admodùm, nempè fuiſſe ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Idem nobis vſu venit in progreſſu & profectu orationis. Vbique obſtacula, difficultates, nebulę, e quarum medio à Deo vocari nos, educique neceſſe eſt, ijſque ſuperatis, calore ignis humorem exſiccāte ardor ſpiritualis inducitur: ſoluta glacie adhærentium deſideriorum mundi, frigoreque depulſo, pietatem conſtringente; gratiæ divinę liquore perfundimur. Diſtractionum molibus everſis in cælum ad tronum vſque gloriæ conſcendimus, & Moyſis diſcipulis aditus fit ad colloquium cum ſummo Numine. Sublatis quoque cordis noſtri obſtaculis Deus ipſe pro ſua voluntate in nobis agere poteſt. Nec enim via ordinaria aliter procedere ſtatuit, parari ſibi aditum mandat; obſtacula removeri: tum demùm quaſi pulſa nube ac caligine media, ſol ipſe ſe prodit, calorem fundit, movet effectuſque ſuos producit. Ita nobiſcum divina bonitas agit, mentes illuſtrat & accendit, gratię ſuę rivos infundit, nucleum ſpiritualis dulcedinis edendum porrigit, ſeque capi, ex

pugnari

pugnari, tenerique patitur. Cæterùm nullus se adeò perfectum existimet; quin sciat se semper habere quod resecet. Consideremus arborem quę dum tenera est luxuriat, ramique erumpentes necessariò putādi sunt. Vbi verò creverit, vbi fructus copiosos fuderit, ad altitudinem iustam perducta, adhuc nihilominùs cultoris manu indiget. Ramorum quidam exarescunt: alij erucis ac vermibus obvolvuntur, atque exeduntur: sæpè fomēto circa radicem; solisq; radijs circa ramos indiget, luxuriantiumque ramorum concisione opportuna. Sic & nobis initio, etsi ferventibus, multa desideria amputanda. Et quò perfectiores, eò subinde parvis vermiculis ac defectibus magis abundamus. Tepor sæpe irrepit. Et adultiores, fervoris præteriti obliviscimur; in defectus pristinos relabentes. Quare meritò viatoribus omnibus ad cælum progredientibus, illuc donec pervenerint, istud attribui debet: *Tempus putationis advenit.*

Simile ac commodatum.

Cant. 2. 12.

TEXTVS DECIMVSQVARTVS

Operuit nubes montem & apparuit gloria Domini super Sinai.

Nubis & ignis significationes.

Nubis & ignis coniunctorũ significatio.

2. TOtis sequẽtibus paragraphis fit freqũes mẽtio nubis, & pręcipue nubis lucidæ. Iũgunturq; hęc penè cõtinuò, nubes & ignis. Nam gloria Domini effulgebat super Sinai, igne, miro modo coruscante in nube, & supra nubem emicante: atque illic Dei maiestatem residere omnium constans erat sententia. Videndum ergò est quàm apposité hęc duo inter se componantur. Certè in diuinis paginis celebris admodùm est mentio coniunctionis vtriusque, & maxmè in nube lucida. Posuit Deus Iridem seu nubem lucidam arcum extensum, illumque vocavit signum fœderis inter se & terram seu homines in terra commorantes. Eduxit etiam Dominus populum suum ex Ægypto, vsus columna nubis per diem, & columna ignis per noctem. Ac Moysi apparebat in nube iuxta tabernaculum. Prophetę quoque in nube aut igne multa viderunt præsertim Ezechiel, *nubes*, inquit, *magna apparuit & ignis involvens & splendor in circuitu eius*. Transfigurate

Genes. 9 16.

Tota Exod.

Ezech. 1 4.

figurato verò Christo Domino in monte Thabor. *Ecce nubes lucida obumbravit* Apostolos. *Et ecce vox de nube dicens hic est filius meus dilectus.* Et cùm in cælum ascendit complevit prophetiam de se pronunciatam. *Ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. Nubes suscepit eum ab oculis eorum,* rediturus est verò, in nubibus cæli. Apostoli denique nubibus comparantur. *Qui sunt*, ait Isaias, *isti qui vt nubes volant.* Magna ergò in nubibus prerogativa; mysteriaque abscondita.

Matt. 17. 5.

Psal. 103. 3.

Acto. 1. 9

Isa. 60. 8

2. Tria verò per nubem nobis significantur; atque inprimis Messias ac Dominus Iesus in nube nobis designatur. Hæc est columna nubis per diem, & ignis per noctem; columna sanè alta & solida, & quę totam ædificij novæ legis molem sustinet: *fundamentum enim nemo potest aliud ponere, nisi quod positum est qui est Christus Iesus, & lapidē quē reprobaverunt ædificantes hic factus est in caput anguli.* Hęc columna duxit populū Israel ex Ægypto, per mare rubrum ac desertum annis 40. & quidem de die columna nubis apparebat, quæ à torrente sole iter facientes protegeret, & præiret. Noctu verò columna ignis viam ostendebat. At Christus Iesus ex duabus naturis compositus est nube & igne, humanitate ac divinitate. Per diem, ab ardore libidinis protegit; mentes tentationum flammis

Nubes tria significat.

Christum Dominum.

1. Cor. 3. 11.

afflatas refrigerat; viamque ad terræ promissionis delicias demonstrat. At in nocte lucem veritatis præfert: ignorantiam tollit: peccati tenebras discutit; perturbationum vmbras depellit; mentium oculis voluptatē generat; ostendit ęternarum rerum pulchritudinem, virtutum venustatem: vitiorum turpitudinem; supremæ maiestatis magnitudinem: denique frigus nocturnum exterminat; animos viatorum accendit; eos qui in tribulatione sunt recreat, vt cum voluptate & alacritate promissam beatorum requiem ineant. Christus Iesus per diem, id
Ioan. 12. est præsentia sua lucens, verbo & exemplo
35. ita solatur Apostolos. *Ambulate*, ait, *dum lucem*
Ioan. 9. 4 *habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Veniet nox quando nemo potest operari.* Ita fuit columna nubis per diem, quia humanitate sua homines per desertum huius vitæ deducebat in cælum. At eo abscedente opus nobis erat colūna ignis. E cælo ergò quò ascēderat S. Spiritum transmisit, qui instar columnæ ignis
Isai. 9. quotidiè facem præfert *habitantibus in Regione vmbræ mortis*. columna ignis divinitatem quoque Christi significat, quæ elucebat in admirandis eius operibus & miraculis; quę non tantùm ipso vivente præluxerunt, sed & per Apostolos eorumque successores imò in hæc vsque tempora, columna illa, divinitatis Christi nuncia veritatis, lucem, & virtutis

amorisque

amorisque divini facem in cælum properãtibus præfert. Et hæc quidem de Christo.

3. Per nubem & ignem homo atque hominum conditio optimè exprimitur. Nubes corpus, ignis spiritum repręsentat. Nubes enim ex terræ aquarum ac mixtorum elementorum vaporibus excitantur. Hominis corpus e terra educitur, & ex elementis cõflatur. Quæ est enim vita vestra nisi *vapor ad modicum parens? Quodque deinceps exterminabitur?* Atque ille quidem sensim exsurgit & ascendit. Et nos paulatim ab infantia ad pueritiam aliasque ętates exsurgimus sed vapore fragiliores: nam tamquam fumus vẽto dispergimur, & dissipantur omnes corporis partes, & in pulveres rediguntur. Ille vapor cùm ad aeris superiorem regionem pervenit, repercussus solis radijs in aquam concrescit, ac deprimitur, reditque vnde venerat. *Et homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Omnes morimur & quasi aqua dilabimur in terram.* Et velut vapor ac pluvia ad locum vnde egressi sumus, redimus, vapor hic impellitur à vento, dum nititur, ad regiones superiores assurgere & in nihilum redigitur. Nonne & homo eandẽ conditionem patitur? *Vidi impium*, ait David *super exaltatum sicut cedros libani, & transivi &*

Hominis corpus.

Iac.4.15

Iob.14.1

Psal 36. 35.

Psa. 143 4.

ecce non erat. Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra praeterierunt. Impellitur enim fortunæ ventis; tribulationum procellis; passionum tempestatibus; tentationum imbribus; & tandem haud rarò, à summo gradu ad exiguũ statum, immò ad nihilum revertitur, nubes nunc lucida; nunc apparet tenebrosa; & homo nunc tristis, illicò lætus, & à lętitia rursus in fluctus tristitiæ prolabitur. Ita loquebatur Antiochus: *in quantam*
1. Mach. 6,11. *tribulationem deveni & in quos tristitia fluctus, in qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea.* Nubes vertuntur eoque tendunt quò venti decurrunt; modò ad septentrionem modò ad meridiem aut occidentem, Felix cui flat oriens aut meridies: quem visitat oriens ex alto. In cuius hortos Auster aspirat, ac Zephyri: quem horridus Boreas dãnabili frigore non perstringit, nec occasus
Ioan. 8. 47. vitę spiritualis, opprimit. Ex vita quis in nobis spiret ventus, apparet. *Qui ex*
Matth. 7 18. *Deo est verba Dei audit. Qui non diligit manet in morte. Non potest arbor bona malos fructus facere. Nec arbor mala bonos fructus facere.*

Perfectio hominis. 4. Hactenus de homine. Per nubem denique & ignem perfectio hominis designatur: Anima hominis velut nubes indifferens est, vt vel lucem vel tenebras excipiat. Lucida est quæ, gratiæ lumine collustratur: obscura, quæ tenebris peccati inquinatur, sed hanc omit-

omittamus. Illa nubes, sive anima perfecti- *Psal.103*
oni idonea est, quam *Deus ponit ascensum suum*, *3.*
quæ cum Dei auxilio egregie proficit & in *Psal. 18.*
profectu exultat *vt gigas ad currendam viam*; *7.*
quæ *ascẽsiones in corde suo disponit in valle lachry-* *Psal. 83.*
marum. vt eat *de virtute in virtutem* tandemq; *6.*
videat *Deum Deorum in Sion*. Super hanc nu- *Isa. 45.8*
bem *rorat* Deus *desuper*, impletque abundan-
ter gratia, vt fundat iustitiam, *& pluat iustos*, *Lu. 1.16*
multosque filiorum Israel convertat ad Dominum Deum ipsorum.

5. Huic significationi non absimilis est: quæ sequitur, vt, nubes gratiam cælestem significet; & tum ignis erit charitas; quę duo coniungi solent, nec vnquam valent separari. Hęc nubes semper est lucida; & sole plenissima. *Sub* hac *nube* omnes *patres fuerũt*, *1.Cor.10* *1.*
& eadem baptizati sunt, Et nos baptizamur *Iosue.15*
gratia Domini nostri Iesu Christi. Per hanc *19.*
nubem fluit in nos *irriguum superiùs & inferiùs*, solaturque nos Dominus gratia sua, non modò in interno homine sed etiam externum afficit, vt dicere possit *cor meum & caro mea exultaverũt* *Psa.83.3*
in Deum vivum. Et hæc quidem de littera.

(.·)

TEXTVS DECIMVS QVINTVS.

Et apparuit gloria Domini super Sinai tegens illum nube sex diebus.

Dispositio ad montis ascensum est, diffidentia sui & confidentia in Deum.

De nube & igne tria documenta.

1. At hęc quid ad orationem faciunt? multũ ſane: antequã enim Moyses ad cacumen montis perveniret *operuit nubes mõtem, & apparuit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube, sex diebus. Septimo autem die vocavit Dominus illum de medio caliginis*, quam nubes illa inducebat. Tegit ergo nubes montem initio mentalis orationis, aut cùm artem orandi discimus, vt intelligamus omne studium nostrum cum Deo conversandi parùm nobis prodesse posse, nisi Christus, qui se nubem fecit, & divinitatem suam mortalitatis nostrę nube contexit, orantem operiat, orationem dirigat; ab hoste in varias quasque cogitationes animum abstrahente, protegat. Bonum est ſanè hac nube contegi atque involvi, reque ipsa de viribus nostris desperare, & ipso invocato totam spem nostram in eo reponere. Huic sapientissimè Ecclesia sacta ad singulas orationes quibus Deum interpellat

Sine Christi auxilio orationẽ fore inanem.

pellat, subiicit, *per Dominũ nostrum Iesũ Christum Filium tuum.* Feliciter profectò precatur, qui hac nube asperguntur, & lacrymis stillantibus ascensiones vlteriores disponunt ad montis cacumen, & intimam cum Deo vnionem.

2. Verùm satis non est spe magna extolli atque ad magna assurgere, aliud necessariũ est vt quantùm in Dei auxilium erigimur tantùm de viribus nostris diffidamus, nosq; omnino tamquam nubem fragilem deprimamus. Hæc enim erat secunda nubis significatio. Inculcari satis non potest, humilitatẽ humilesque coram altissimo atque omnipotente semper esse gratissimos. Eam verò demissionem consequemur. Si protestemur nos virgulam fumi, nubeculam, *vaporem qui ad modicum paret*; fumum obscurum & *velut tenebrosam aquam in nubibus aeris*, tonitrua, grandinem imbresque passionum fulminantem. Si recordemur in guttulas pluuiæ nos resolui & à terra absorberi, oportere nulla nostri memoria remanente, vitam nostram in fortunæ rotam subleuatã in terram vsque demitti ac prolabi; vapores honorum ac gloriæ huius mundi tribulationum ac morborum ventis ita dissipari, vt ne vestigium quidẽ elevatæ nubeculę appareat. O beatum illum qui hæc oraturus in animo sentire

Diffidentia nostri & Dei confidentia commendatur.

Iac. 4. 15

Psal. 17. 12.

ſentire poteſt, præparationem nanciſci nullã poteſt meliorem, & quæ greſſus affectuſque hominis ad cacumen montis ſuperandum fortiùs ſtabiliat ac confirmet. Vtrumque nimirum diffidentiam ſui & confidentiam in Deum complectitur Rex pientiſſimus cũ

Pſal. 83. 6. ait. *Beatus vir cuius eſt auxiliũ abs te.* Non à ſe. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Benè diſpoſuit ac propoſuit. Cui enim auxilium eſt à Deo; ille proponere poteſt, & diſponere. Sed ſine Dei benedictione bonum quidem adiacet, perficere verò non valet. Etenim cùm in Deum ſpem omnem conieceris, *benedictionem dabit Legiſlator.* Novamque legem cũm gratia illam exequendi ſufficiet. *Ibis de*

Pſal. 83. 8. *virtute in virtutem & videbis Deum Deorum in Sion.*

3. *Fervor in oratione neceſſarius.* 3. Diximus etiam nubem lucidam eſſe divinam gratiam charitatis luce ſplendentem. Orandus Deus vt hęc nubes orationis noſtræ montem operiat, involvat, totumque contegat. Quid enim anima, ſine nube hac ad conſortium cum Deo ineundũ, vel ad aſcenſum virtutum adornandum præſtare valeat. Inflammata oratio cælum penetrat, aditum ad ſedẽ divinæ maieſtatis parat, & læta petititionis ſuæ fructum reportat. Elias ſacrificium

3Reg. 18 33. ſuum aqua copioſa aſperſit. Deus verò de cęlo ignem demiſit qui holocauſtum aqua madens corripuit ac devoravit. hæc orantis

eſt

est figura; quem & diuinorum charismatum imbre madere; & cælesti igne flagrare, si sese in holocaustum supremo numini sacrificare desiderat, necesse est.

TEXTVS DECIMVS SEXTVS.

Sex diebus septimo autem die.

De septem rupibus seu gradibus proficientium in studio orationis.

Prima, quæ in die caliginis ascenditur, explicatur.

1. MAgnum opus & arduum aggreditur Moyses cum montem Sinaj ascendit septem diebus, septem quasi rupes habet superandas, præruptas, salebrosas, & horrore plenissimas. Quid faciet? iubetur ascendere: vt vltima rupe superatâ gloriam Dei videat. Sane illi animus deesse non debet, quandoquidem ex labore suo, tantum honorem fructumque reportaturus sit. *Septenarius numerus, in Scriptura celebratur.*

2. Septenarius numerus in sacris paginis celebris haberi solet. Ab ingressu animaliũ in arcam, computatis septem diebus, Dominus diluuio mundum perdidit. In illam, animalium mundorum, septena & septena induci voluit. Noë post emissam primam columbam expectauit rursus septem alios di- *Genes. 7. 19.* *Genes. 8. 8.*

mundi; tentationum procellæ & horror laborum occurrẽtium sed bono animo simus. Properamus *ad montem Domini & ad domum Dei Iacob. vt nos doceat vias suas, & ambulemus in semitis eius.* Isai. 2.3

5 Prima rupes seu gradus primò die superandus caliginis nomine insignitur. Nam Moyses ascendens in montem primùm caliginem obuiam habuit; *operuit*, inquit nubes montem; *septimo* autem die *vocauit Dominus Moysem de medio caliginis* sex ergò diebus delituit Moyses in nube ac caligine. Idem vsu venire solet non tantùm incipientibus orationi operam dare: sed & proficientibus & maximè, qui mentalibus exercitijs animum applicant. Et quamuis Beatus Paulus *noctẽ præcessisse* afferat, *diem appropinquare*: dies nostri obscuritate non carent. Nec est quod qui seriò animum ad meditandi orandique studium appellunt, sibi persuadeant nullum ipsis obstaculum obventurum: occurrunt rupes, & saxa ac tenebræ: dura omnia, primo aspectu ac salebrosa. Et quod horribilius; in nocte, in tenebris procedẽdum est, & à nocte incipiendum. Noctem eam præcedere; diem subsequi necesse est. *Et fiet vesperè & manè dies vnus.*

Prima rupes. seu dies caliginis. Exod. 24 16. Rom. 13 12.

6. Petes cur primum diem, diem caliginis appellandum censes. Nempe hac secunda parte de mentalibus exercitijs & maximè *Quis caliginis.*

de

de meditandi ratione tractamus, artẽ ac methodum eam assequendi tradentes. Nec opus putamus esse primùm definire quid oratio mentalis, quid sit meditatio: quandoquidem id superiùs ex Bernardo declarauimus distinguentes inter lectionem, orationem & contemplationem; quod clariùs inferiùs auctoritate sanctorum Patrum explicabimus. hunc autem diem, caliginis nomine ac titulo insignimus, quia qui incipiunt mentalibus exercitijs incumbere, tenebras inveniunt ac perpetiuntur. Huius rei ratio est; quia res diuinę, quas pertractamus naturam excedunt; & nisi desuper, lux affulgeat, res illæ sublimes non percipiuntur. Characteres pertenues ac subtiles, acutos requirunt oculos: & celestes litteræ, oculorum munditiam desiderant; *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Matt. 5. 8.

7. Accedit, difficile esse, res non visas speculari: vix enim de ijs quæ cadunt sub sensum pro veritate, & rei dignitate iudicamus. Opus enim est cerebro opportuno, vti quemadmodum & ad res conficiendas, instrumenta convenientia, ac proportionata requiruntur. At initio, acies ingenij obtusa, res adeò sublimes commodè apprehendere capereque non potest; non discurrere, non in formam redigere. Quare in rebus ex se clarissimis, haud raro, densæ tenebræ

tenebræ ſeſe nobis obijciunt, Verbi gratia. *Deum eſſe*, clarius ac perſpicacius nihil eſſe poteſt: cũ ipſe ſit lumen mundi ſol & ſplendor omnis gloriæ: non eſt tamen meo ingenio perſpicuum illud: non quod clariſſimũ non ſit in ſe: ſed quia obtuſo cœcoque ingenio non capitur.

8. Primarium meditationis digerendæ inſtrumentum eſt fides: quæ cum ipſa obſcura ſit & obſcurè res repręſentet; mirum non eſt, ſi initia mentalis orationis obſcura eſſe videantur. verbi gratia, fides dicit, *qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & ſedi cum Patre meo in throno eius.* At quis eſt ille thronus? qualis eſt? materialis an ſpiritualis? quo loco ſedebo? reſpondet Deus, mecũ. At ſolus ego Domine ſedebo tecum? quid de alijs & quid ille thronus & quàm lõgus in quo tam multi victores ſedeant? profectò fides aliquid dicit; ſed admodùm obſcurè, & rem pro dignitate non exprimit. *Apo. 3. 21.*

9. At ponamus meditanti non deeſſe præclarum ingenium, fidem intenſam, & caritatem ſuccenſam. Nihilominus initia inuſitatę rei tenebris non carent, ac palpitatione, vt enim qui in carcere cœco ac clauſo, longo tempore, lumine caruit; vbi ad lucem admittitur, non lucem, ſed ſcintillas ac tenebras cernere videtur. Ita & qui tenebris huius corporis cõluuſi ac mũdi negotiis obruti *Simile.*

ecce non erat. Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra praeterierunt. Impellitur enim fortunæ ventis; tribulationum procellis; passionum tempestatibus; tentationum imbribus; & tandem haud rarò, à summo gradu ad exiguũ statum, immò ad nihilum reuertitur, nubes nunc lucida; nunc apparet tenebrosa; & homo nunc tristis, illicò lætus, & à letitia rursus in fluctus tristitiæ prolabitur. Ita loquebatur Antiochus: *in quantam*
1. Mach. *tribulationem deueni & in quos tristitiæ fluctus, in*
6, 11. *qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea.* Nubes vertuntur eoque tendunt quò venti decurrunt; modò ad septentrionem modò ad meridiem aut occidentem, Felix cui flat oriens aut meridies: quem visitat oriens ex alto. In cuius hortos Auster aspirat, ac Zephyri: quem horridus Boreas dãnabili frigore non perstringit, nec occasus
Ioan. 8. vitę spiritualis, opprimit. Ex vita quis
47. in nobis spiret ventus, apparet. *Qui ex*
Matth. 7 *Deo est verba Dei audit. Qui non diligit manet in*
18. *morte. Non potest arbor bona malos fructus facere. Nec arbor mala bonos fructus facere.*

Perfectio hominis. 4. Hactenus de homine. Per nubem denique & ignem perfectio hominis designatur: Anima hominis velut nubes indifferens est, vt vel lucem vel tenebras excipiat. Lucida est quæ, gratiæ lumine collustratur: obscura, quæ tenebris peccati inquinatur, sed hanc

omit-

omittamus. Illa nubes, siue anima perfecti- *Psal. 103*
oni idonea est, quam *Deus ponit ascensum suum*, *3.*
quæ cum Dei auxilio egregie proficit & in *Psal. 18.*
profectu exultat *vt gigas ad currendam viam*; *7.*
quæ *ascensiones in corde suo disponit in valle lachry-* *Psal. 83.*
marum. vt eat *de virtute in virtutem* tandemq; *6.*
videat *Deum Deorum in Sion*. Super hanc nu- *Isa. 45.8*
bem *rorat* Deus *desuper*, impletque abundan-
ter gratia, vt fundat iustitiam, *& pluat iustos*, *Lu. 1.16*
multosque filiorum Israel convertat ad Dominum
Deum ipsorum.

5. Huic significationi non absimilis est: quæ sequitur, vt; nubes gratiam cælestem significet; & tum ignis erit charitas; quę duo coniungi solent, nec vnquam valent separari. Hęc nubes semper est lucida, & sole plenissima. *Sub* hac *nube* omnes *patres fuerũt*, *& eadem baptizati sunt*, Et nos baptizamur gratia Domini nostri Iesu Christi. Per hanc nubem fluit in nos *irriguum superius & inferius*, solaturque nos Dominus gratia sua, non modò in interno homine sed etiam externum afficit, vt dicere possit *cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Et hæc quidem de littera.

1. Cor. 10 1.

Iosue. 15 19.

Psa. 83. 3

(.·.)

TEXTVS DECIMVS QVINTVS.

Et apparuit gloria Domini super Sinai tegens illum nube sex diebus.

Dispositio ad montis ascensum est, diffidentia sui & confidentia in Deum.

De nube & igne tria documenta.

1. AT hęc quid ad orationem faciunt? multũ sane: antequã enim Moyses ad cacumen montis perveniret *operuit nubes mõtem, & apparuit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube, sex diebus. Septimo autem die vocavit Dominus illum de medio caliginis*, quam nubes illa inducebat. Tegit ergo nubes montem initio mentalis orationis, aut cùm artem orandi discimus, vt intelligamus omne studium nostrum cum Deo conversandi parùm nobis prodesse posse, nisi Christus, qui se nubem fecit, & divinitatem suam mortalitatis nostrę nube contexit, orantem operiat, orationem dirigat; ab hoste in varias quasque cogitationes animum abstrahente, protegat. Bonum est sanè hac nube contegi atque involvi, reque ipsa de viribus nostris desperare, & ipso invocato totam spem nostram in eo reponere. Huic sapientissimè Ecclesia sacta ad singulas orationes quibus Deum interpellat

Sine Christi auxilio orationẽ fore inanem.

pellat, subijcit, *per Dominũ nostrum Iesũ Christum Filium tuum.* feliciter profectò precatur, qui hac nube aspergunutr, & lacrymis stillantibus ascensiones vlteriores disponunt ad montis cacumen, & intimam cum Deo vnionem.

2. Verùm satis non est spe magna extolli atque ad magna assurgere, aliud necessariũ est vt quantùm in Dei auxilium erigimur tantùm de viribus nostris diffidamus, nosq; omnino tamquam nubem fragilem deprimamus. Hæc enim erat secunda nubis significatio. Inculcari satis non potest, humilitatẽ humilesque coram altissimo atque omnipotente semper esse gratissimos. Eam verò demissionem consequemur. Si protestemur nos virgulam fumi, nubeculam, *vaporem qui ad modicum paret*; fumum obscurum *& velut tenebrosam aquam in nubibus aeris*, tonitrua, grandinem imbresque passionum fulminantem. Si recordemur in guttulas pluuiæ nos resolui & à terra absorberi, oportere nulla nostri memoria remanente, vitam nostram in fortunæ rotam subleuatã in terram vsque demitti ac prolabi; vapores honorum ac gloriæ huius mundi tribulationum ac morborum ventis ita dissipari, vt ne vestigium quidẽ elevatæ nubeculę appareat. O beatum illum qui hæc oraturus in animo sentire

Diffidentia nostri & Dei confidentia commendatur.

Iac. 4. 15
Psal. 17. 12.

ſentire poteſt, præparationem nanciſci nullā poteſt meliorem, & quæ greſſus affectuſque hominis ad cacumen montis ſuperandum fortiùs ſtabiliat ac confirmet. Vtrumque nimirum diffidentiam ſui & confidentiam in Deum complectitur Rex pientiſſimus cū
Pſal. 83. ait. *Beatus vir cuius eſt auxiliū abs te.* Non à ſe.
6. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Benè diſpoſuit ac propoſuit. Cui enim auxilium eſt à Deo; ille proponere poteſt, & diſponere. Sed ſine Dei benedictione bonum quidem adiacet, perficere verò non valet. Etenim cùm in Deum ſpem omnem conieceris, *benedictionem dabit Legiſlator.* Novamque legem cùm gratia illam exequendi ſufficiet. *Ibūt de*
Pſal. 83. *virtute in virtutem & videbu- Deum Deorum in*
8. *Sion.*

3. Diximus etiam nubem lucidam eſſe divinam gratiam charitatis luce ſplendentem. Orandus Deus vt hęc nubes orationis noſtræ montem operiat, involvat, totumque contegat. Quid enim anima, ſine nube hac ad conſortium cum Deo ineundū, vel ad aſcenſum virtutum adornandum præſtare valeat. Inflammata oratio cælum penetrat, aditum ad ſedē divinæ maieſtatis parat, & læta petitionis ſuæ fructum reportat. Elias ſacrificium ſuum aqua copioſa aſperſit. Deus verò de cęlo ignem demiſit qui holocauſtum aquā madens corripuit ac devoravit. hæc orantis

Fervor in oratione neceſſarius.

3 Reg. 18. 33.

eſt

est figura; quem & divinorum charismatum imbre madere; & cælesti igne flagrare, si sese in holocaustum supremo numini sacrificare desiderat, necesse est.

TEXTVS DECIMVS SEXTVS.

Sex diebus septimo autem die.

De septem rupibus seu gradibus proficientium in studio orationis.

Prima, quæ in die caliginis ascenditur, explicatur.

1. MAgnum opus & arduum aggreditur Moyses cum montem Sinaj ascendit septem diebus, septem quasi rupes habet superandas, præruptas, salebrosas, & horrore plenissimas. Quid faciet? iubetur ascendere: vt vltima rupe superatâ gloriam Dei videat. Sane illi animus deesse non debet, quandoquidem ex labore suo, tantum honorem fructumque reportaturus sit. *Septenarius numerus, in Scriptura celebratur.*

2. Septenarius numerus in sacris paginis celebris haberi solet. Ab ingressu animaliũ in arcam, computatis septem diebus, Dominus diluuio mundum perdidit. In illam, animalium mundorum, septena & septena induci voluit. Noë post emissam primam columbam expectauit rursus septem alios di- *Genes. 7. 19.* *Genes. 8. 8.*

mundi; tentationum procellæ & horror laborum occurrẽtium sed bono animo simus. Properamus *ad montem Domini & ad domum Dei Iacob. vt nos doceat vias suas, & ambulemus in semitis eius.* *Isai. 2.3*

5 Prima rupes seu gradus primò die superandus caliginis nomine insignitur. Nam Moyses ascendens in montem primùm caliginem obuiam habuit; *operuit*, inquit nubes montem; *septimo* autem die *vocauit Dominus Moysem de medio caliginis* sex ergò diebus delituit Moyses in nube ac caligine. Idem vsu venire solet non tantùm incipientibus orationi operam dare: sed & proficientibus & maximè, qui mentalibus exercitijs animum applicant. Et quamuis Beatus Paulus *noctẽ præcessisse* asserat, *diem appropinquare*: dies nostri obscuritate non carent. Nec est quod qui seriò animum ad meditandi orandique studium appellunt, sibi persuadeant nullum ipsis obstaculum obventurum: occurrunt rupes, & saxa ac tenebræ: dura omnia, primo aspectu ac salebrosa. Et quod horribilius; in nocte, in tenebris procedẽdum est, & à nocte incipiendum. Noctem eam præcedere; diem subsequi necesse est. *Et fiet vesperè & manè dies vnus.* *Prima rupes. seu dies caliginis.* *Exod. 24 16.* *Rom. 13 12.*

6. Petes cur primum diem, diem caliginis appellandum censes. Nempe hac secunda parte de mentalibus exercitijs & maximè *Quis caliginis.*

de

tenebræ ſeſe nobis obijciunt, Verbi gratia. *Deum eſſe*, clariùs ac perſpicacius nihil eſſe poteſt: cũ ipſe ſit lumen mundi ſol & ſplendor omnis gloriæ: non eſt tamen meo ingenio perſpicuum illud: non quod clariſſimũ non ſit in ſe: ſed quia obtuſo cœcoque ingenio non capitur.

8. Primarium meditationis digerendæ inſtrumentum eſt fides: quæ cum ipſa obſcura ſit & obſcurè res repręſentet; mirum non eſt, ſi initia mentalis orationis obſcura eſſe videantur. verbi gratia, fides dicit, *qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & ſedi cum Patre meo in throno eius*. At quis eſt ille thronus? qualis eſt? materialis an ſpiritualis? quo loco ſedebo? reſpondet Deus, mecũ. At ſolus ego Domine ſedebo tecum? quid de alijs & quid ille thronus & quàm lõgus in quo tam multi victores ſedeant? profectò fides aliquid dicit; ſed admodùm obſcurè, & rem pro dignitate non exprimit. *Apo. 3. 21.*

9. At ponamus meditanti non deeſſe præclarum ingenium, fidem intenſam, & caritatem ſuccenſam. Nihilominus initia inuſitatę rei tenebris non carent, ac palpitatione, vt enim qui in carcere cœco ac clauſo, longo tempore, lumine caruit; vbi ad lucem admittitur, non lucem, ſed ſcintillas ac tenebras cernere videtur. Ita & qui tenebris huius corporis cõluuſi ac mũdi negotiis obruti *Simile.*

hil de divinis rebus contemplati sunt; vbi eò veniunt caligant oculi,&infinitas discurrētes scintillas, inanesque discursus aspiciūt,donec paulatim oculis assuetis ac roboratis lucem vt cæteri aspiciant ac comprehendant.

10. At illi ijdem, si solem intueri debeant, quantò magis oculi scintillabunt? certè bubones & noctuę,ne oculis quidem apertis solem videre possunt; quantò minùs radios cōprehendant? Huc facit,quòd ád hanc lucem quam quærimus non tantùm radij,sed & cōiunctus calor necessarius sit. (Quid enim prodest discursus in spirituali commentatione, si fervor animi desit?) At viridia ligna sine fumo nō accēduntur. Quot quæso fumi? quot crepitationes? sibili, quot venti? ac humores è lignis prorumpunt antequàm flammam concipiant? eadem contingunt ijs qui mentalibus exercitijs primùm se dedunt. Nam inprimis affectus amoris proprij, desideriorum item sęcularium; perturbationum, quibus adhuc laborant, contentione caloris divini pellendi sunt. Hęc enim lumen intellectus perturbant, cælestes illustrationes excludunt & divino amori, magna vi, resistunt. At quantæ molis est hęc monstra exturbare?

11. Adde, quòd consuetudo sit altera natura; quam si expellas furca; eadem tamen vsque opportuna, importuna recurret. Verū

qui

qui huic soli visibili assuevit, atque hisce corporalibus oculis, vix vnquàm tota vita in se ipse intravit, solem iustitiæ in tenebris lucentem nūquàm aspexit; internis oculis vsus non est; quis credat illicò eum vsurum æquè facilè ac si res corporeas intueretur? Aviculæ recenter captę includi nolunt in cavea: Canes loro duci non volunt: illis tamē assuetudo difficultatē adimit. Et illæ cicures egredi non appetunt, & hi alligari nō detrectant.

12. Illud non omittendum. Obiecta rerū sensibilium sensus nostros ex se plùs satis proclives ac propensos, animum ab aspectu interno avocant ad sese. Dumque lucem exteriùs videmus, tenebras in animis patimur: & dum rerum varietate foris capimur: domi cælestium luminū voluptate privamur. Foris edimus, intus iejuni remanemus

13. Denique magni faciunt homines libertatem vagandi & oculis grassandi in res, quæ aspectum possunt recreare. Nolunt includi, horrent carceres, cœcitatem pertimescunt libertatem perdere arbitrantur si continere debeant sensus, ne pro libidine vagentur carcerem tetrum, internam conversationem ac quasi conclusionem reputant, cœcos se esse autumant si vsui externorum luminum aliquid detrahant, hæc rupes prima quā tātopere horrent qui nondum assueti exercitijs internis, quasi per abrupta montium reptant:

& summo labore conscendunt. Huic profectioni seu diei caliginis respondet primus dies creationis rerum. *Terra enim erat*
Genes. 1. 2. *inanis & vacua & tenebræ erant super faciē abyssi.* Inanis namque & vacua est terra cordis nostri, quæ caret sole, rerum omnium parente. Abyssus quoque est animus, infinitarum specierum huius mundi collectione atque aggregatione confusa. Ecquantę in hisce omnibus tenebrę super faciem abyssi cordis nostri? meritò ergò dies caliginis, & rupes tenebrosa hæc diei pars vocari potest. Sed medius dies est.
Gen. 1. 5. *Factum vesperè* nondum *manè dies vnus.*

Remedia contra tenebras meditationū.
14. At repantanti & in ascensu laboranti opē lucemque feramus. Dicat Dominus Deus *fiat lux.* Et lux reipsa appareat. Nec enim nox semper durat. *Nox præcessit,* ait Apostolus, *dies autem appropinquabit.* Remedia itaque subijcienda sunt, quæ lucem præferant. Atque inprimis magno animo esse debet, qui incipit mentalibus exercitijs insistere. Fervor enim lumen quærit, & lumen invenit. *Surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Christus.* si nimirum inter rupes languere, iacere atque stertere velis, involveris nube, quæ mentem obruet & nunquam ad montis cacumen pervenies.
Rom. 13. 12.
Ephes. 5. 14.

15. Iuvant præterea quæ supra attulimus in remedia distractionum; quęquæ de lectione

ne spiritualium librorum disseruimus; de dispositionibus ad orationem. Huc etiam facere potest, summum desiderium verbi divini, audiendi, & quidem cum gustu & observatione eorum, quæ dicuntur & præscribuntur. *Qui ex Deo est, verba Dei audit; sed estote factores verbi, & non auditores tantùm; fallentes vosmetipsos; quia si quis auditor est verbi, & non factor; hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Duo ergò Sanctus Iacobus exigit, alterum vt consideret quis ac gustet ea quæ dicuntur: alterum vt faciat quæ audivit & probavit. *Ioan. 8. 26.* *Iac. 1. 22.*

16 Plurimùm verò valet, cùm in rebus omnibus; tum etiam in hoc orationis progressu, exercitatio, vsus & assuefactio. Auiculę loqui discunt. *Quis psittacū docuit suum Chære?* Pueri philosophię candidati, sensim speculationi assuescunt. Quid? etiam in lapide scribitur: in ære sculpuntur imagines: & ex durissimis metallis statuæ perpulchræ formantur. *Quis mihi det vt exarentur in libro* cordis nostri *stylo ferreo vel tanquam si celte scribantur in silice*, hæc præcepta? Ex horum namque intellectu, si operam adhibeas, facies quidquid voles; si modò in naturam cuiusquam minimè capacem ac novercam non incideris. *Iob. 19. 23.*

17. Inter cætera verò pręsidia, quibus in

 hisce

Verbum æternum lumen & lucerna. hiſce anguſtijs iuvamur & illuminamur nullum à ſanctis patribus efficacius proponitur, quàm vita & mors Servatoris noſtri, Domini Ieſu. Ipſe enim eſt *lucerna*, ardens & lucens pedibus noſtris ſicut ait Rex pius, *lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis.* *Pſal. 118. 105.* Si enim verbum ore prolatum lucere, & viam monſtrare poteſt; quantò magis verbum æterni patris, Dei filius & Sapientia increata, lucerna erit pedibus & lumen ſemitis noſtris? Quod enim in illo verbo factum (ait Beatus Ioannes) *vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* *Ioa. 1. 4.* Lucet ergò verbum in tenebris. Ideò ait, *ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris.* *Ioan. 8. 12.* Et quia verbum lucerna lumenq; eſt: ideò *ego ſum*, ait, *via veritas & vita.* *Ioan. 14. 6.* Hac luce, hoc directore, iſtam rupem ac tenebras evadimus; abrupta montis ſuperamus.

18, Ratio verò cur patres, hanc illuminationem Chriſto Domino tribuant, eſt: quòd nobis lucem illam internam meruerit, & Spiritus ſancti flammas ignemque è cœlo miſerit. Deinde vita eius tantis luminibus bonorũ operum illuſtrata eſt; tot miraculorum ſplẽdore exornata, vt nemo eam pro dignitate conſideret, qui veritatem ipſam è cœlis allatam rationemque benè recteque vivendi nõ agnoſcat,

agnoſcat, non æmuletur. Huc pertinent virtutes eius illuſtres, quarum ſingulæ tanquam faces ardentes ac gemmæ lucidiſſimæ, omnium intuentium oculos rādijs quibuſdam cæleſtibus complent ac recreant. O quàm pulchra in vno homine tanquam in eminēti cælo ſydera collucent! Quanta in Chriſto Ieſu ſapientia! Quæ prudentia! Quæ in omnes mortales charitas! Quæ morum compoſitio! Quanta dicendi vis! Quàm divini in vultu radij emicant! Quanta in patiente animi magnitudo! Qui ergò lucernam hanc obtinere cupit, vitam ac paſſionis myſteria diligenter revolvat ac meditetur & in iis totus hæreat atque acquieſcat; haud dubiè ſentiet vires, lucem & facilitatem ſeſe ex horrida ac tenebroſā hac rupe eximendi; progreſſumque in montis hoc arduo itinere non pœnitendum efficiet.

19. Vltimum ſubſidium à ſplendore cæleſti & gratia divina petendum eſt. Quæ deeſſe nō poſſunt quando, quod in nobis eſt, præſtamus. *Clamavit ad me*, (ait Dominus) *& ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* At propone tibi ob oculos quæſo hominem inter rupes, in tenebris, in itinere lubrico, hoſtemque eum perſequentem, vt loquitur Propheta Regius: *fiat via eorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini perſequens eos.* Eundemque ad Domi-

Pſal. 90. 15.

Pſal. 34. 6.

num vociferantem ex animo: quid futurum putas? *Exaudiam eum* ait Dominus imò *cum ipso sum: eripiam eum, & glorificabo eum; quoniam invocavit nomen meum.* Verùm non satis est, nosse; Deum, paratum esse nobis opitulari; sed opem eius vrgendam esse ac prosequendam quisque sibi persuadeat oportet. Qui procul lumen videt in tenebris gaudet ille quidem, ac in spem venit, luce illa potiundi: non tamen ideò iter eius illuminatur: nec legendi potestatem habet, nisi lumen appropinquet & pedibus manibusve admoveatur. Ita & qui nondum assecutus est vsum precationis internæ, contentus esse non debet, si paratum à Deo videat auxilium aut subinde scintillam consolationis sentiat. Instet, vrgeat, deprecetur, vt lucem obtineat & fervorem; alioquin parùm faciet; eique similis erit, qui cùm prece adhibita lectica vehi possit inter saxa & rupes, mavult iners iacere, quàm generosè in itinere suscepto progredi.

Simile accõmodum.

20. Quæ diximus hactenus eadem & figura nostra eleganter nobis insinuat. Cùm enim dixisset Moyses: *operuit nubes montem,* subiunxit, *& apparuit gloria Domini super Synai.* Nunquã enim Dominus nos in tenebras aut tribulationẽ labi permittit; quin statim lux nobis oboriatur, quo liberari, si velimus possimus, & evadendi facultas ac consilium

assulgeat.

affulgeat. *factum est ergò nunc vesperè & manè dies vnus.* *Gen.1.5.*

SECTIO PRIMA.

Dies secunda quæ absconsionis dicitur: in quæ secunda rupes ascenditur.

De studio latendi, ac solitudine.

1. GRadatim procedimus; rupem vnam superavimus, conscendamus alterã, quę suis difficultatibus non caret. Hic dies absconsionis seu solitudinis vocatur. Primus lumine carebat: secundus, etsi lumen affulgeat nonnullum, eo tamen lumine viator videri non vult: & in nubis caliginisq; obscuritate, iubetur delitescere. Alta, arduaque rupes est ista & varios gradus anfractusque continet. Montem namque sic nubes circũdabat ac tegebat, vt *nec videre Moyses quemquam; nec à quoquam ipse videri; nec denique se ipsum clarè cernere valeret.* Magnum perfectionis gradum, insignemque dispositionem ad congressum cum Deo ineundum assecuti fuerimus, si in animum inducamus, & voluntatem firmam & inconcussam habeamus nunquam in alios, eorumque facta dictaque, quæ ad nos non pertinent intendendi, inquirendi, cognoscendi, diiudicandique: imò de rebus omnibus, quæ curę nostræ non subsunt, audire

Absconsionis seu solitudinis virtus gradus continet quatuor.

Partitio.

Alienis nos non immiscere.

audire planè repudiemus.

Aliena nun videre nec in magnis.

2. Hoc primum impedimentum, in hac rupe confragosa gradienti, sese objicit: quod superare si possimus, magnum & arduum promontorium superaverimus: hoc enim est vitium vel maximum, vt alienos defectus videamus; in proprijs cœcutiamus; alienas facies videamus, & si qui nævi inhæreant ac maculę probè conspiciamus, nostras verò, vel facies, vel maculas nullas agnoscamus. Et quamvis vti possimus speculo, aut ab alijs sciscitari, num quid sit, quod facies fœdet aut deturpet: tamen nec facimus ipsi, nec ab alijs nobis fieri permittimus, & omnino abhorremus, dicique nobis nolumus: atque ægerrimè ferimus, si etiam fœdissimæ labes in fronte apparentes nobis demonstrentur. O magna mortalium perversitas! sordidi esse volunt, nec tales tamen videri, nec dici. Atque adeo, vlcisci sese paratos semper ostendunt, si quis de eluenda eorum facie, aut de nota illa turpitudine verba faciat.

Nec in parvis.

3. Cæterùm illi ipsi omnium, non crimina modò, aut delicta considerant, sed & nævos, pulvisculos, atomosque intuentur, carpunt, evulgant. Nec vitia tantùm perstringunt, sed & actiones omnium discutiunt, dijudicant, interpretantur, & fœdâ calumniâ aspergunt. Et quod turpius est, se cæteris esse meliores plenis buccis effutiunt, facta sua dictaque

taque, factis, dictisque aliorum præferunt. Hos haud rarò adurit invidia quædam occulta, quæ se zelo honoris Dei, odijque peccati contegit. Hocque pallio arbitrantur sibi de omnibus loqui licere ac debere, magnumque hac ratione Deo obsequium præstare.

4. Hęc vitia vt spiritualia sunt: ita nec facilè videri possunt. Quare cum Moyse consultissimum est abscondi, ne videamus cęteros: vel eorum nos negotijs misceamus: sunt enim nonnulli, qui ita dę se præclarè sentiũt, vt nihil recte factum putent, quod à se suove consilio non prodit. Quęrunt occasiones occupationum, & negotia negotijs, curas curis, occupationes occupationibus cumulant, & totius orbis negotia minora eorum animis ac desiderijs videntur. Intereà nihil exequũtur; in mille partes divulsi, nulli rei acquiescunt, toti in omnibus, & in toto nihil. Ergò in hac rupe primus gradus superandus est. *Occasiones aliena tractandi fugere.*

5. Secundus gradus est à nemine velle videri, quod Moysi accidisse diximus, qui tanta nube involvebatur, quæ omnium aspectũ arceret. Magnum ille saltum ac profectum fecerit, qui aliorum oculos, vel reipsa effugerit, vel certè efficaci voluntate effugere, nec ex rectè factis laudem vel gratiam vllã hominum admittere statuerit; imò tetræ huius pestis radicem ex animo penitus evulserit *Secũdus gradus. Nolle videri ab hominibus.*

ſerit: hunc perfectum dixerim, qui in rei veritate ſe ab hac tinea liberum ſenſerit vt
Pſal. 130. 2. dicere poſſit cum Propheta: *neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus ſuper me*. Multi multa dicunt, & auram popularem verbo à ſe amoliuntur: qui verò ſine mendacio & fuco fœditatem huius labis agnoſcant & ab animo prorſus excludant, paucos inveniri poſſe conſtituo. Et quamvis quàm plurimi defectus pęnè omnes ſuos exterminent; hic ex poſtremis recedit, nec ordinarie ante animæ exitum è corpore, pelli ſe loco ac deturbari permittit. Probant hoc ſermones noſtri. Quidquid enim ſit de vituperio noſtri ipſius; non rarò tamen nobis excidit teſtimonium interni ſenſus & lingua tacere non poteſt, quod in corde latet. Hinc optimè B. Iacobus. *Lingua noſtra modicum membrum eſt, & magna exaltat*. Declarat intus eſſe cor magnum & altum atque illud magna ſua atque alta opinari, atque extollere, etiamſi parva ea ſint. Beatus Paulus hoc vitium horrebat ita ſcribens Corinthijs. *Non audemus inſerere aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant, ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis*, omnis comparatio odioſa eſt. Hac ſola excepta, qua metitur vlna noſtra res noſtras. Cùm enim nihil ſimus: nihil poſſimus, *neſciamus vtrum odio an amore digni ſimus*; ſi hac ſcientia vtamur,

Vana gloria appetentia deteſtanda.

Iac. 3. 5.

2. Corin. 10. 12.

Eccleſ. 9. 2.

nun-

nunquam errabimus, metientes nimirum actiones nostras vlna & mensura infirmitatis nostræ. *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est; sed quem Deus commendat.* Omnes in articulo mortis, vtilissime ac verissimè dicent: *non intres in iudiciũ cum servo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens: & delicta iuventutis meæ & ignorantias ne memineris Domine.* 2. Corinth. 10. 18. Psal. 142. 2. Psal. 24. 7.

6. Qui ad montis cacumen pervenire gestiunt, primùm nube contegantur & libenter lateant ne videantur ab hominibus: nec in lingua, nec in incessu, nec in vestitu apparere velint hominibus: imò nec in bonis operibus testimonium hominum quærant. *Cùm ieiunatis*, ait Christus, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Et cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito; & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi & cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & angulis platearum stantes orare vt videantur ab hominibus.* *Nec in externo homine videri velle..* Matth. 6. 16. Matth. 6. 2.

7. Et hęc quidem exteriùs; sed radix interior evellenda est vanæ æstimationis, gloriæ inanis, stultæ commendationis, complacen- *Nec in interno.*

tię propriæ. Alioquin semper fumi ex corde superbo, labia, oculos, faciem atra tingent fuligine, & operum omnium radix ramique, verme blando quidem, ac titillante; sed crudeli corrodentur, Abdia teste, qui Dei nomine superbis Idumæis hæc improperat. *Supebia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarū, exaltantem solium tuum. Qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terrā? Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te: dicit Dominus.*

Abdias. 1.2.

Nec in gradu honoris.

8. Huic gradui affinis est alius, quo quis cum Moyse latere cupit; fugiens dignitates & speciosa officia. Benè vixit, feliciter secureque moritur, qui benè, latuit: Quid vis apparere? quid in te adeò speciosum ac venustum est, quod videri desideras? Non tam intuebuntur homines virtutes tuas, quā defectus tuos & vitia. Non erit in te capillus qui non examinetur ac vellicetur: omnia tua cilia & supercilia, numerabuntur, hoccine est tantopere appetendum? sed quid? Hoc Protoplastes noster suorum filiorum animis insculptū reliquit, vt velint ex loco superiori videri eminere sed magno suo malo. Quibusdā prius viscera, quàm ambitionē euelles. Optimè S. Ambrosius. *Sæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos: habet enim gratiam forensem domesticum scelus & vt dominetur*

Super Lucam.

Ambitio detestanda.

minetur alijs, prius servit. Eò verò difficiliùs abigitur, quo difficiliùs agnoſcitur. Depaſcitur ante totum internum hominem, quàm eius pręſentia ac pernicies deprehendatur. Claudit mentis oculos (eſt enim ſpirituale malum, & in mentem primùm omniũ graſſatur). Iiſque obductis, populatur quidquid boni interiùs reſidet: tamq́ue altas figit radices, vt poſt pœnitentiam, ad mortem etiam vſque, (& quod admirabilius eſt in viris planè perfectis) omnium poſtremùm ſeſe pelli evelliq́ue permittat. Hæc omnia prę clarè Sanctus Bernardus. *Radix iniquitatis* ait, *eſt ambitio, ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, criminis fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina languorem.* Hęc Bernardus & veriſſimè. Nec eſt quod de ſolis imperfectis hæc dicta reputemus. Adurit inquam etiam hęc peſtis perfectos viros, qui non guſtarunt felicitatem humilium, eorumq́ue qui ad ſecuritatem, infernè reſidere delegerunt potiùs, quàm vel in alto videri carpiq́ue vel ex alto cadere. Quod ſi in perfectis etiã pravitatem inveniamus: quantò magis in ijs qui montẽ aſcendunt & tantùm in ſecundo gradu verſantur.

Eius pernicies.

Super pſal. qui habitat. Serm. ſexto.

9. Hanc rupem aſcendentes ceciderunt turpiter non pauci. Lucifer inprimis, & quidem

Caſus ſuperborũ.

dem is non homo, qui pedibus reptare cogitur, sed Angelorum vel primus, vel ex primarijs qui dicebat in corde suo, *in cœlum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, ascendam super altitudinem nubium similis ero altissimo Verum ad infernum detraheris, in profundum laci.* Magnus iste lapsus est, & omnium casuum deterrimus si profundiùs cadere potuisset, cecidisset vtique. Malè quoque in hanc rupem atque imprudentiùs primus parens noster impegit cervicem; interim sibi, totique hominum generi cerebrum, omniaq; membra, vires internas, & externas confregit ac comminuit. Filij Chore, Dathan, & Abiron perturbatè hanc rupem ascendentes deturbati sunt, & in infernas domos defossi. Pharao qui Moysi responderat, *quis est Dominus, vt audiam vocem eius & dimittam Israel? Nescio Dominum & Israel non dimittam,* cum toto exercitu in hac rupe stare non potuit. cecidit, *& ait Dominus Moysi extende manum tuam super mare, & revertantur aquæ ad Ægyptios super currus & equitatus eorum.* Nabuchodonosor, turpiter hanc rupem aggressus est, dicens: *nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei.* At turpiùs ex hoc pręcipitio corruit, & in bovis speciem mutatus est. Antiochus ratus hanc rupem curru conscendere, è curru delap-

Isai. 14. 13.
Gene. 2. 17.
Num. 16. 32.
Exo. 5. 2.
Dani. 4. 27.
2. Mach. 9. 7.

delapsus, putredine fœtore, dirissimisq; morbis correptus ac dilaniatus absumptus est. *Et tu Capharnaum vsque ad cælum exaltata, vsque ad infernum demergeris : quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Denique Simon Magus ex hac rupe sordidè nimis ac impudenter, à dæmonibus evectus præceps ruit, & collum tibias, plantasq; cõfregit. Quare consilium optimum est, vt qui ascendunt, lateant, ne ab adversario in tam periculosum præcipitium, deturbentur. *Luc. 10. 15.* *Luc. 14. 11.*

10. Tertius gradus, quem in nubis tegumẽto notavimus est, vt qui ascendit ne se quidem videat. Quod etsi factu difficile sit ; tamen non modò id vtile est, sed etiam apprimè necessarium. Sunt enim nonnulli & maximè qui incipiunt internè conversari; vbi vel minimum luminis recipiunt, vbi lacrymulam vnam demittunt, se perfectionem assecutos credunt, & de rebus sublimibus instar aviũ garriunt ; timoremque Domini negligẽtes, facilè à primo fervore desiliunt. Ii nimiùm sese intuentur: apparere & clarescere volunt, si non in aliorum, certè in opinione de se ipsis concepta. *Dicentes* verò *se esse sapientes stulti fiunt.* *3. Gradus. Virtutes proprias ignorare.* *Rom. 1. 22.*

11. Illud enim discriminis est inter verum virtutem, & virtutis simulacrum. Quod hoc oculos aperiat, illa claudat. Hi videntes in lumine auctoris tenebrarum aspiciunt; illis *Discrimẽ inter virtutes ac virtutum simulacrum.*

S à pru-

à prudentia veráque ſapientia oculi ſublimes claudnntur, vt certò non ſimulate iudicent, nec opinione veri fallantur. Hîc modeſtiæ, & humilitatis ſenſus magnus: à iactantia, ſūma alienatio. Quò enim minùs proprio ſeſu iudicioque vtuntur eò maiori lumine à Deo illuſtrantur, vt cognoſcant veram ſanctitatē cælitus promanare; à ſe verò boni nihil. Et quò propiùs ad Deum accedunt, excellentiorique virtute ornantur, eò humiliores, obedientiores magiſque cœci in rebus ſuis commendandis, deprædicandis, comprobandis apparent. Vident enim ſe nihil ex ſe habere, & ſi aliter glorientur quàm in Domino, ſi ſibi applaudant ac complaceant; timendum,
Mat. 13. 12. ne quod *habent auferatur ab eis*: multa ſibi deeſſe, ſe Dei reſpectu, & aliorum; qui virtute aut excellūt ac prælucent, vix virtutum ſtudiū à limine ſalutaſſe; multùm ſpatij ſupereſſe, ad metam vſque decurrentibus multos præcedere, paucos vel nullos ſe ſubſequi, præter eos, qui ſi illa gratia, quàm eis Dominus impertivit, præditi eſſent, fervore ac ſtudio amoris divini præverterent. Vultis huiuſmodi oculatos cœcos videre? Sanctus Paulus talem cœcum ſe eſſe profitetur. *Ego enim ſum* ait *minimus Apoſtolorum qui non ſum dignus vocari Apoſtolus; quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Et nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum, ſed neque meipſum iudico, qui enim iudi-*

Cœci oculati.

1 Corin. 15 9.

cat

est ille Dominus est. Nolite ante tempus iudicare (tam vos, nempe, quam alios) *quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum.* Quid? Et Christus Dominus vt homo qua ratione de se loquitur? *Ego autem sum vermis & non homo,* At bone Iesu, nonne Deus tum eras, cùm in cruce hunc psalmum recitares? Omnino: tamen comparatione diuinæ maiestatis, te vermem esse censebas, atque minutus paulò minùs ab Angelis flagellari, rideri, conspui, & in cruce figi voluisti: ad hæc oculos intendis; hæc cogitas, hæc consideras: auertis mentis aciem à diuinitate, à plenitudine gratiæ, à meritis. Cur ita? quòd perfectissimè noris, Dei maiestatem adeò excelsam tremendamque esse vt sola eius consideratio venerationem omnibus; timorem ac tremorem cunctis peccatoribus imò iustis & Angelicis mentibus incutiat. Atque hæc quidem ad vesperam pertinent, nunc elucescat dies & Lucifer oriatur. *Psal. 21. 7.*

12. Vltimus gradus est, sic omnia excludere, vt nec à quoquam videri nec nos ipsi aliud, præter vnum Deum videre cupiamus haud minùs, quàm si vnus in orbe vniuerso Deus, & vnus homo, soli, consisterent. Hoc declaratione nonnulla indiget. Natura comparatum est, vt homines actiones suas, ex iudicijs hominum metiantur, non ex iudicio sensuque præsentis Numinis. Ita enim *4. Gradus.* *Solitudo vera quæ.*

 ratio-

ratiocinari solent, Quid dicent homines, si hoc vel illud egero? Novi hos, atque alios aliter sentire. Nec est hæc via ordinaria; nec singularis inveniri debeo. Si resciãt tales esse resolutiones meas, me intuebuntur; nonnulli me sanctum arbitrabuntur; alij irridebunt; ego verò totus confundar. Hæ & similes apprehensiones vehementer obsunt nondum perfectis vsquequaque. Abscondi ergò debent penitus, vt nec huiusmodi strepentes muscę admittantur: imò ne audiantur quidem; sed nec est, quod opinentur ipsi id alijs in mentem venire. Caveant verò ne desiderent in corde suo, quæ occulta esse debent, in aliorum venire notitiam. Hę namq; cogitationes inanes persæpè coniunctæ sunt cum desiderio vanitatis: vt nempe norint homines, & admirentur conceptiones tuas ac resolutiones generosas: sicque laudem

Eccles. 1. 2. meritam consequaris. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, si Deo non placeas, aut eidem tua non probentur. Hæc ergò virtus secũdæ diei, quam vocavimus diem absconsionis, solitudo potest appellari. Et in hoc vis, eius

Solitudinis vis, maxime consistit vt inprimis homo sibi se solum reddat ac restituat. Deinde Deum pręsentem sibi solum soli adiungat. Dehinc omnium hominum iudicia omnia excludat, nisi, in quantùm prudentia opus esse iudicaverit. Inducit postremùm in animum homi-

nis

nis magnum sui contemptum, vtpotè qui nihil penitus sit, collatus cum tanta maiestatę quę animæ solitariæ, tum temporis augustissima repræsentatur. De hac animæ solitudine seu abscōsione loquitur Deus per Oseam Prophetam: *ducam illam in solitudinem & loquar ei ad cor*: & Ieremias, *sedebit solitarius, & tacebit quia levavit, super se.* Hortatur nos etiam Propheta, vt abscondamur in fossa humo, in latere Salvatoris, vbi & divinitatem inveniemus, & humanitatis delicijs potiemur. Denique sponsus in canticis sponsam invitat ad hasce occultas dapes his verbis: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ; in cauerna maceriæ: ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Hæc omnia in recessu isto ac solitudine, summa, absconsi, voluptate fructuque geruntur.

Ose.2.14

Thren.3. 28.

Cant. 2. 13.

13. Atque hæc quidem ad auroram, diemque pertinent. Nec minùs quæ sequuntur remedia, vincendis difficultatibus ascensus huius rupis, opportuna. Hæc namque dies, secundæ diei orbis conditi respondet. in qua Deus dixit *fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas ab aquis.* Nempe quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Firmamentum quod stellas continet immobiles, & quod dividit aquas

Dies absconsionis.

Genes.1. 6.

inter se, virtus est humilitatis. Auctore Chrysostomo qui vult hanc virtutem cæteris spiritualibus astris substerni. *siquidem vnusquisque humilitate superposita tutissimè cuncta alia superponit ædificans: hac verò subducta etiamsi ad ipsum vsque cælum conversationis sublimitate pervenias simul omnia subtrahuntur atque in finem pessimum relabuntur: nam sive orationem sive ieiunium sive misericordiam sive pudicitiam sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges statim cuncta defluunt cunctaque depereunt*, quæ ex flumine infami amoris proprij derivantur. De quibus ait Ieremias Propheta. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi in via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis?* Ægyptus mundum hunc, in litteris sacris, designat. At mundus plenus his aquis turbulentis, quæ pacem & quietem animorum eripiunt: vnde addit Ieremias: *Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Scito & vide; quia malum & amarum est reliquisse te Dominum, Deum tuum, & non esse timorem apud te.* Aquę verò quæ super cęlos; Spiritus Sancti charismata, gratiæ cælestes, delicię spirituales sunt de quibus Christus Dominus. *Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* De vtraque idem Ieremias. *Duo mala fecit*

Firmamentum dividens Homil. 15. in Matth. cap. 5.

Iere. 2. 19.

ab aquis quæ sunt super firmamentum.

Ioa. 4. 13

Ierem. 2. 13.

fecit populus meus me dereliquerunt fontem aquæ vivæ; & foderunt sibi, cisternas dissipatas, quæ cõtinere non valent aquas. Aquę cisternarum sũt aquę pluviatiles, quę impetu ruunt atque ex partibus variis aggregantur. Tales sunt mũdi voluptates, quę ex diversarum creaturarũ colluvie conflatę, in animarum lacunas vndequaque pertusas, ad breve tempus per sensus acceptas, per eosdem delabuntur: citiusque delabi censentur, quàm vel ipsum sensum delectatione permoverint. Has tantopere distantes inter se aquas firmamentũ separat. Humilitas nempe, has sibi invicem misceri nullo modo patitur, sed se mediam constituit, ne superiores ab inferioribus polluantur, cùm ipsa omni impuritate careat. Est enim teste Basilio, humilitas, depositio vani sensus, qui ab elatione, vanæ de se existimationis proficiscitur. Et quod amplius est, istud firmamentum ex natura sua aptum est, aquas illas cælestes, adciscere, & in humiles refundere. Audiamus Augustinum de hoc argumento egregiè differentem. *Hæc aqua, inquit, confessionis peccatorum, hæc aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ salutaris abijcientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbè tribuentis, hæc aqua in nullis alienigenarũ libris est non in epicureis, non in stoicis, non in manichæis, non in Platonicis, vbicunque etiam inveniuntur, optima præcepta morum, & disciplinæ; humi-*

Basil. 198.

in Psal. 31.

Iere. 2. 19. *litas tamen ista non invenitur.* Vnde mirum non est si per Ieremiam Dominus arguit Iudęos: *quid tibi est in via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis?* Voluptates namque mundi huius, instar fluminum effluunt, & non revertuntur. Brevis sensus hominem demulcet; sed prolixos morbos aculeosque relinquit.

Humilitas lucem adfert. *Prov.* 11. 2. *Matt.* 11. 25. *Lib.* 25. *mor. cap.* 31.

14. *Factum est ergò vesperè & manè dies secundus.* Humilitas namque diem adfert, & mētem incredibiliter illustrat. *Vbi est humilitas*, ait Sapiens, *ibi est sapientia. Confiteor tibi Pater*, (aiebat Christus Dominus) *Domine cæli & terra; quia abscondisti hæc à sapiētibus & prudentibus & revelasti ea parvulis. Lumen enim intelligentiæ* (ait Divus Gregorius) *humilitas aperit; superbia claudit.* Chrysostomus huius rei reddit rationem. *Sicut quantò acutiùs videmus, tantò magis percipimus, quàm lōgè à cæli regione distamus sic quantò altiùs per spiritualem profectum ad virtutis culmen conscendimus & mentis oculum perpurgamus magis; tantò plus docemur, quàm sit inter Deum & nos grande discrimen, tantò clariùs cernimus, quàm adhuc humili & abiecto loco iacemus.* Atque hæc quidem de secunda rupe.

SEC-

SECTIO SECVNDA.

Dies Tertius.

De tertia rupe; ignorantia & cognitione sui ipsius.

1. IN hac Moysis nube, alia caligo includitur nimirum Ignorantia sui ipsius. *Ignorantia sui.* Mirum est animalia bruta domos ac stabula cognoscere, homines verò rationis capaces, qui in sese, habitant, vivunt & perpetuò versãtur, se prorsus ignorare. Caligo hæc admodùm deploranda in rupibus huius vitę degẽtibus ac reptantibus, & in hac præsertim quę modò conscendenda proponitur. Diximus magnum esse virtutis indicium virtutes alienas videre, proprias non cernere; modò lugemus eosdem mortales, virtutes proprias perpendere ac palpare; sese verò ac vitia defectusque suos minimè agnoscere. Et huius quidem ignorationis origo abyssum illam arbitror esse, de qua Sapiens: *Abyssum & cor hominum investigavit.* *Eccl. 42. 18.* Abyssus vere est cor hominis: sicut enim chaos illud quod commenti sunt Poëtæ initio mundi extitisse omnium rerum confusarum materiem, quod *Origo prima.* veluti semina rerum cõtinebat: ita & cor nostrũ omnium perturbationũ confusione: radi

ces quoque ac fibras; vitiorum etiam semina; quæ continenter, pullulant & ad mala omnia pertrahunt, comprehendit. Quis hâc rerum farraginem disiunget, distinguet, discriminabit?

Vius effectus. 2. Alia radix huius mali & intima origo, est vulnus illud quo facultas intelligendi, vitio primi parentis, tamquam telo, confossa fuit. Hinc enim errores infiniti, in auctore, suo, primoque principio agnoscendo; Cùm cultum atque honores ad teterrimos dæmones, ad infamia simulacra, toto pæne terrarũ orbe translatos, non sine summa admiratione ac dolore videmus. Huc accedit illa mortalium cœcitas turpissima, ad quam proh dolor devenere, vt dicant *bonum malum, & malum bonum*; *lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Ex eodem fonte promanat *ignorantia* quę in infantibus, ac pueris ne dicã senibus reperitur, item *fatuitas*, ac discendi difficultas in adultis. In omnibus *finis vltimi* nostræque *beatitudinis* ignoratio. Ignoramus & *media* ac præsidia ad illum finẽ consequendum. Nec mirum: nam & res nostras, quas tractamus, sint ne bonæ vel malæ sæpè in dubium vocamus. Rerum naturaliũ principia, causas, ac naturas attingere vix possumus. Quid mirum, cum & *nostri cognitio* prorsus nos fugiat, aliena mala videamus: in nostris planè cœcutiamus. Huc facit quod dif-

difficillimè primam è terra ac luto manantẽ originem noſtram oculis obijciamus; de fine atque exitu noſtro vt cogitemus in animum inducere non poſſumus; de nobilitatis inſignijs ac ſtemmatibus, lubenter audimus, eademque lęti nobis proponimus; gloriam ac memoriam immortalem poſt hanc vitam avide concupiſcimus: de pulvere vnde procreati; de ſordibus, quę ex corporibus noſtris excernuntur, de morbis & infirmitatibus: de ijs quæ à deceſſu obventura ſunt, nempe de putredine ac fœtore corporum noſtrorum; de ignibus ſempiternis; de ratione Iudici omnia ſcienti reddenda, nõ modò quidquam ſeriò in mentem revocari non patimur, ſed ne ad aures quidem admittimus. Quid dicam de quęſtione illa ſuprema in qua ſumma rerum & ſalutis noſtræ cardo vertitur? Qui ſalutem aſſequi velit, neceſſe eſſe à peccatis longiſſimè recedat, virtutes amplectatur, & opera ſibi pręſcripta exerceat. Modò verò homo vitia pro virtutibus colit virtutes ignorat, & ſibi in hac ignorantia complacet. Opera autem nulla, aut quæ ſibi dumtaxat bona videntur ſuſcipit. Reprehendi recuſat; etſi id fiat, amico monenti ſuccenſet: ſcientiæ ſanctæ ac cuiuſvis diſciplinæ rudimenta aſpernatur; nec virtutis aſpectum admittit. Quid futurum homini tali, qui in hiſce tenebris, horrẽdam rupem Gen. 1. 5.

rupem

rupem conſcendere debeat? Quis non miſe-
De cognitione ſui propoſitiones. reatur; cum præſertim lucem, quæ ei ad anfractus, præcipitia, ſcopuloſque cognoſcendos neceſſaria eſt, reſpuat atque averſetur. Hunc, perniciem ſuam quærere, & ni iuvetur, brevi futurum, vt de vita & ſalute conclametur, nemo dubitat. Quapropter condemnatis hiſce tenebris lucem diemque lætiores quæramus. Et vt ſecuri per hæc abrupta procedamus ductores, ac bonos genios aliquos viæ gnaros aſſumamus. At quid primus dicat audiamus.

Propoſitio. 3. *Quicumque per hanc rupem graditur is inprimis ſtatuat, nihil eſſe cognitu difficilius cognitione ſui.* Hoc ex divinis paginis diſcamus neceſſe eſt; alioqui tanta eſt noſtra ſtupiditas, vt cum ea quę clariſſima, vix videamus aut credamus; tum ſanè longè minùs, quæ obſcura ſunt cõ-
Iere. 17. 9. prehendamus. *Pravum,* inquit Ieremias, *eſt cor hominis & inſcrutabile & quis cognoſcet illud: Ego Dominus ſcrutans cor & probans renes.* Mirabile
Difficultas ſui cognoſcendi. iuxta & miſerabile, hominem abditiſſima queque naturæ rimari; cor verò quo vivit; ſpiritum quo ſpirat; viſcera quibus vita ſuſtentatur, inſcrutabilia eſſe, vero certius definiantur. Sed in hoc miſerabilior, quod cùm ſeſe minimè cognoſcat, ſeſe tamen optimè noſſe reputet, & documenta de ignoratione ſui prorſus aſpernetur. *Habet hoc humana infirmitas,* ait S. Gregorius, *vt plus intueri ſibi libeat,*

quod ei in se placet, quàm quod displicet. Interroganti quid esset difficillimum Diogenes, *nosse teipsum,* inquit, *multa enim propter amorem sui sibi quemque sumere solitum.*

4. Addit ductor noster, eam inter iustos & iniustos differentiam esse: quod iusti toti sint in investigatione veritatis circa statum animi sui. Iniusti verò vel desistant ab inquisitione veri; vel etiam, (quod deterius est) lucem videre non velint: ne turpitudo sua illos conturbet. Et licet in animis suis turpes existant, malunt tamē turpes esse, modò turpitudinem illam non intueantur; adulationibusque mendacibus acquiescere, quā veritati parere. De his ita loquitur Sanctus Pontifex Gregorius: *multa in occulto facientes mala; pro bonis, quæ patenter laudantur, ab occultis malis, oculos avertunt: talesque se existimant, quales foris audiuntur, non quales intus noverunt.* Addit idem ad illa verba: *consumentur velut à tinea & rem* planè acu tangit: *tinea,* ait, *damnum facit non sonitum. Ita iniqui, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt.* De iustis verò; *iste* inquit, *in hac vita iustorum labor est, vt semetipsos inveniant, & invenientes flendo & corrigendo ad meliora perducant.*

Lib. 5. moral. cap. 32.

Lib. 5. mor. cap. 18.

Lib. 10. mor. cap. 22.

4. Pulchra gradatio.

5. Vt autem ductoris nostri sententiam ruminemus in via; videamus quàm difficile sit ad perfectam nostri notitiam descendere. Id enim experimur in rerum malè gestarū

investi

investigatione. Nonnulli multis diebus; quidam & multis mensibus in sese non penetrant. Fieri tamen subinde necesse est, atque vtinam nō sæpius: dumque rationē tandem à se exigunt, vix quidquam deprehendūt; etsi non dubitent se Deo in multis non satisfecisse. Adeò difficile est de seipso male opinari, nosse delicta sua, malefacta pro suis agnoscere, illa fateri, illa corrigere. Hinc reprehēsi, si possimus negamus: si negare nequimus totum, partem honestiorem admittimus: si nec totum liceat excusare factum; in alios, qui consilio, vel exemplo moverunt, vel cōscij tantùm sunt, culpam reijcimus. Si auctores ipsi probemur criminis: tum Reus, solus inquit non feci. Societatem nimirum criminis in eiusdem diminutionem ac defensionem adducimus: quasi ij soli peccent, qui soli rem iniquam admittunt, & non ij qui cum alijs crimina perpetrant. Querimur etiam nos solos reprehendi, ignosci alijs, qui fortè magis culpabiles haberi deberēt. Quod si soli fecisse deprehendamur, tum ad intentionis optimæ quæ videri non potest clipeū confugimus. Quod si & hæc repudietur; vt imprudens & fatua; tum nunquam alias nobis id contigisse & falsò fortasse asserimus. Et post multa; difficultatem vitandi mali opponimus. Denique infirmitatem nostram & & occasiones mali perpetrandi in patrocinium

m delicti adducimus. O quot impietatis ne-
...itiçque nostræ præsidia quærimus; quæ
...evi, demissi animi confusione ac confessi-
...e tolli curarique potuissent! Et hoc totũ.
...uòd nec nosse nos ipsos; nec malefacta ag-
...oscere faterique velimus. Pessimum verò
...enus eorum, qui nõ modò non agnoscunt;
...d etiam tueri, quę perperam admiserunt,
...ntendunt. Vnde hoc quæso malum? Ocu-
...s geminos homini Christiano Deus largi-
...us est. Intellectum & fidem. Oculis gemi- *Nota.*
...s, hostes gemini, quoad possunt obsistunt,
...nor sui & interna passio. Ille excœcat mẽ-
...m, hic obscurat fidem: vt enim in aqua *Simile.*
...urbida faciem nullus videre potest: nemo
...ertè seipsum videre clausis rationis oculis,
...t pulveribus perturbationum oppletis.

Hinc novus occurrit scopulus: novus ergò
...ctor aut bonus genius qui viã non ignoret,
...ęrendus est, & asciscendus. At quo docu-
...ento viam in hac ardua rupe nobis monst-
...abit? Accipe tu, quicumque hunc novum *Proposi-*
...opulum perhorrescis *cognitio sui* inquit *per* *tio secun-*
...*ecessaria est, ad orationis perfectionem assequen-* *da.*
...*um, & gradatim ad montis cacumen attingendum.*
...nr ita? Hę: enim sui cognitio optimam *cognitio*
...editãtibus materiam suppeditat. Vult quis *sui pro-*
...editari de ortu & origine sui? En argumẽ- *dest me-*
...m optimè à Beato Bernardo pertractatum *ditãtibus*
...i exponens hæc verba Beati Iob. *Homo* *Lib. sec.*
natus

Modo de cōsideratione. Materia meditantibus suppeditat. De nostri origine. De conditione humani generis Lib. de claustro animæ.

natus de muliere brevi vivens tempore, post pauca ita ait. Consideranti tibi quod sis. *Occurret* tibi inquit *homo nudus, & pauper, & miser, & miserabilis; homo dolens, quod homo sit, erubescens, quod nudus sit, plorans quod natus sit; murmurans, quod sit homo natus ad laborem, non ad honorem. Homo natus de muliere. Et ob hoc cum reatu: brevi vivens tempore: ideoque cum metu repletur multis miserijs; & propterea cum fletu. Verè multis, quia corporis & animæ simul.* Hæc de ortu. Cupit alius de eiusdem nati statu & conditione cognoscere? hæc quę Hugo de Sancto Victore eleganter describit, in subiectam meditationis materiam assumat. *Nihil aliud est caro cum qua tanta est societas, nisi spuma caro facta, fragili decore vestita. Sed erit quandoque cadaver miserū & putridum, & cibus vermium. Si diligenter consideres, quid per os, & nares & cæteros corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium nūquam vidisti: si singulas eius miserias enumerare velis, quàm sit onerata peccatis, irretita vitijs, pruriens cōcupiscentijs, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper ad malum, & in omne vitium proclivis, plenam confusione & ignominia invenies.*

De eiusdem infirmitate

7. Pulchra quoque consideratio est infirmitatis humanæ, quę in hoc speculo nostræ notitiæ clarissimè elucet. Vtar Beati Bernardi verbis. *Generalis est humano generi miseria triplex, si diligenter advertimus; nam & faciles sumus ad seducendum; & debiles ad operandum*

&

fragiles ad resistendum. Si discernere volumus ter bonum & malum, decipimur. Si tentamus facere bonum, deficimus; si conamur resistere malo, ijcimur & superamur.

Hęc sane consideratio nostrique cognitio magnam hominibus sapientiam parit. Illa enim cùm tota versatur in inveniendo naturæ ac conditionis suæ principio; tum in finem maximè extremum oculos conijcit: à quo pendet ęternæ vel beatitudinis vel miseriæ ac damnationis suæ summa. At in mortis meditatione antiqui Philosophi sapientiam reposuerunt. Hæc namque consideratio extremorum, timorem Dei generat; deterret à vitijs; errantem ad iustitiæ semitam revocat; rectè gradientibus animos addit; denique fatuitatem abijciens, sapientem demũ hominem efficit & virtutibus illustrem. De quo argumẽto meditationem egregiam describit Innocentius Papa tertius in hęc verba. *De morte*

Formatus est homo de pulvere, de luto, de cinere. quodque vilius est, de spurcissimo spermate; conceptus in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ; quodque deterius est, in labe peccati; natus ad laborem, timorem, dolorem; quodque miserius est, ad mortem. Agit prava quibus offendit Deum; offendit proximum offendit seipsum. Agit turpia quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscientiam. Agit vana quibus negligit seria, negligit vtilia, negligit necessaria. Fiet cibus ignis, *Lib. de vili. cõd. hum. Cap. 1. lib. 1.*

qui semper ardet & urit inextinguibilis. Esca vermis qui semper rodit & comedit immortalis: massa putredinis quæ semper fœtet & sordet horribilis. Hæc Innocentius. Ex quo sic colligo. Si consideratio mortis sit vera sapientia; eò quòd sapientem hominem efficiat; longe magis cognitio sui erit sapientia, quæ & mortis cōtinuam adducit recordationem; & longè plura mortalium oculis obijcit, & in perpetua custodia sui constituit.

De externis internisque defectibus. 9. Nam quæ hactenus meditanda tradidimus, externa pleraq. fuerunt. At sui cognitio singula in homine pervadit ac perlustrat; nō modò, quæ exteriùs patent: sed & quæ latēt interiùs, & hæc maximè discutit, considerat, animadvertit ac corrigit. Considerat, inquā, an oculus errabundus excurrat, an lingua frænos servet; an auris noxia admittat; an nares odorum illecebris fœdentur; an tactus omnem mollitiem aspernetur; an pedes frustra vagentur; an manus otiosa; an eadem iniuste rapiat, & iniuriam inferat; an dentes mordeant carnem alienam; an palatum ciborum delicijs capiatur plùs æquo. Denique in omnes corporis partes incumbit, vt nulla officio desit, vt nulla in vitium proruat. At non solùm: sed eius studium, internum hominem maximè investigat ac rimatur, eiusque sensus corrigit; perstringit cogitationes, quæ sunt sine intellectu; affectiones

nes animi cōponit; iudicium quietum red-it. Sed primarium eius studium in hoc maximè viget, vt vitia omnia exterminet, & propensiones in malum, prorsus evellat atque comminuat. Hoc argumentum præclare tractat Beatus Gregorius. *Electi intra num cordis, adversum se quidquid se impugnat, numerat. Ibi ante oculos suos, omne quod deficiant, acervant. Ibi quidquid per iram districti iudicis scerni possit, inveniur. Ibi tot patiuntur suppli-a, quot pati timent. Nec deest in hoc iudicio mente ncepto, omne ministerium quod punire reos suos enitùs debeat. Nam conscientia accusat, ratio iu-cat, timor ligat, dolor excruciat.* Hæc Gregorius, & verè: nam ad cognitionem sui pernet nihil omittere eorum, quæ cuique ex fficio incumbunt: & impetus eos, ac propēones coercere, quæ ad præcipitium alicuius tij, vi sua ac pōdere deducunt atq; inclināt. *Lib. 10. cap. 22.*

). Verum sapienti hoc satis non est: etsi nim à se mala omnia removere magni ani-i sit indicium, sola tamen malorum absentia ac privatio hominem beatum non fat. Consideret ergò deinde quàm multa se desiderentur, quàm multa prætermiserit: abesse virtutum decora, quæ se effulgere oporteret: meritorum segem requiri, quibus munitus spem cælestium præmiorum concipiat. Hæc commentandi materia nobilissima juxta ac vtilissima est: *De defectu virtutum.*

Comparatione facti cũ sanctorũ exemplis ac feruore. cum præsertim sanctorum virtutes heroicas nobis proponimus; cùm ex eorum fervore ac cursu tepiditatem tarditatemque nostram arguimus: cùm supremi capitis exemplis nobis propositis, virtutumque eminentiũ gloria, ingratitudinem nostram ac torporem condemnamus. Hanc rationem vrget Beatus Augustinus. *Magis* inquit *cogitare debetis, quid vobis desit, quàm quod vobis adsit. Quod habes, cave ne perdas; quod nondum habes, supplica vt habeas. In quantis sis minor est considerandum, non in quantis sis maior. Si enim cogitas, quantùm præcessisti alterum; time tumorem: si verò cogitas, quantùm tibi deest, ingemiscis, curvaris: si humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis non laberis.*

Serm. 59 Hęc Augustinus. Ex quibus omnibus constat, quàm ijs opportuna sit hæc virtus, hoc exercitium, hic gradus, qui mentalibus exercitationibus animum excolere & in ijs proficere desiderant: meritoque consilium hoc ductoris est nobis instar baculi, quo in hoc tam tædioso ac molesto itinere sustentemur, nitamur & à fatigatione vindicemur. At boni genij ductorisque nostri quandoqui dem hactenus consilium fidum ac salutare experti simus, quid suggerat deinde audiamus: & novos occurrentes scopulos ac præcipitia declinemus.

Propositio tertia. 11. Propositio tertia. *Cognitio sui hominem disponit, viamque parat ad Deum inveniendum, cognos-*

agnoſcendum, diligendum atque amplectendum. Ita enim comparatum eſt, vt qui ſeipſum, naturam, originem, primaſque ſui cauſas rerumque omnium diligenter inveſtigat, conſequenter in auctoris notitiam deveniat: nemo enim à ſe originem trahit; & licet principium quiſque ſui, proximamque originem facile inveniat, non tamen acquieſcit, donec primum auctorem attigerit. Sic namque ſolent homines argumentari; parens meus pari conditione, qua ego in hanc lucis vſuram intravit; intrarunt & avus, proavus, & maiores. At nō in infinitum procedendū eſt; ergò ad aliquod primum veniendum principium: & hoc Deum eſſe tandem aliquando deprehendent, ac concludent.

Cognitio ſui ad Deum perducit. Conſideratione originis & finis.

12. Huc pertinet quod ſtudium cognitionis ſui & inveſtigatio eiuſdem hominem extimulet, vt inquirat ſedulò in quem finem editus ſit, & à quo in hunc eundem finem deſtinatus. Ecquis ille finis, quo vergunt omnia? Ecquæ hominis beatitudo? In quo denique verè beatitas illa cōſiſtat? Nulla verò ratio certior veritatis aſſequendæ de vno ac ſupremo numine, quam extremorum horum, principij nempe ac finis conſideratio. His enim auctor rerum omnium quæritur & invenitur. Cumque ille ipſe idem ſit finis, qui & principium omnium; facilè conficitur cognitionem ſui, hominem veri-

tatis studiorum, ad Deum disponere ac dirigere.

Ex superbiæ destructione. 13. His accedit à primi parentis corruptela hominem temere extolli solitum: & status ac conditionis suæ cognitione postposita, minime Deo subijci ac parere. Quæ mentis elatio, genus humanum, à Creatoris sui observantia prorsus avocat & alienat. Et tamē quia *arcta est via quæ ducit ad vitam*: demittendę cervices, collum iugo Christi, (quamvis suave sit illud & benignum.) submittendum. Alioquin in illas angustias, humilemque ianuam intrare non possumus; & qui erecto collo penetrare conabuntur, ij sibi cerebrū comminuent. At nihil ita deprimit arrogātiam ac superbiam, atque sui ipsius cognitio: qua vilitatem, tenuitatem, & vt ita dicam, nihilitatem videmus, agnoscimus, tangimus, atq; experimur. *Perditio tua ex te Israel: tantummodò in me auxilium tuum*: si enim nobis relinquimur, videbimur nobis ipsi sufficientes: hoc iudicio procedentes, evidenter perdimur, & præcipites in exitium ruimus. Ex nobis ergò perditio nostra. Atq; adeò hoc cognito, quærendus est qui ad salutem manum porrigat, & certis auxilijs insufficientiam nostram suppleat ac fulciat. Is autem est Deus & Dominus parensque omnium, sine quo ne subsistere quidem vlli mortalium liceat. Ose. 13. 9.

14. Ea

3. Ea verò sui cognitio è duplici fonte ori-
ir: alia namque à naturę nostræ principijs, t naturalis nominatur: alia a fide & auxilijs eleitibus proluit, & supernaturalis dicitur. aturali cognitione explicanda excelluerūt uidam philosophi, sapientes habiti, qui quan naturæ vires permiserant, de miseria hu iana & hominum conditionibus sapientissiè censuerunt: quamvis multis erroribus, ;pote fide, divinaque sapientia destituti, doc ina n suam ac monumenta aspersa reliquent. Audiamus aliquot hac de re differen s. *Heraclitus* adhuc iuvenis (quod mirum t) omnium sapientissimus habitus est, uoniam sciebat se nihil esse. *Socrates* existiabat nihil se scire, pręter hoc vnum, quòd ihil sciret; reliquos verò ne hoc quidem ;ire. Id pretereà subinde vsurpare sermoibus solebat. *eos qui febricitant appetitum & bur amittere: qui verò Principum aulas inhabin', mentes & bonos mores perdere; nisi frequenr animo repetant: nosce teipsum.* Cato maior ravissimus illius temporis, & iudiciosus Poa *Cum quis te laudat, iudex tuus esse memento.* 'enique Princeps eloquentiæ, qui & inter on vulgares, philosophus recensendus est. t inquit *Medici, causa morbi inventa, curationem e inventam putant: sic nos ægritudinis causa rerta, medendi quoque facultatem reperiemus* Atii causa omnis mali amor nostri inordina-

Cognitionis sui origo duplex.

Ex naturæ principijs.

Vocatur naturalis

Philosophorum sententiæ de cognitione sui.

Tuscul. 3

tus esse dignoscitur & ægritudinis internæ virus absconditum. Hoc ergò agnito curationis maximam partem consecuti sumus. Verùm istud in sui amore ac complacentia contineri, diversis locis idem auctor declarat, *Suum cuique*, ait, *pulchrum est. Adhuc neminem cognovi Poëtam, qui sibi optimus non videretur. Sic res habet. Te tua, me delectant mea. Nemo vnquam neque Poëta, neque Orator fuit, qui quemquam meliorem, quàm se arbitraretur.* Hæc lumine rationis illustrati, viri illi, quid natura posset (ita providentiâ divina disponente, vt quæ in illâ, præsidia forent cognosceremus) testatum reliquerunt.

Lib. 2. tuscul. quæst.

15. Hęc verò naturalis cognitio sui comparatur, vel ingenij bonitate, vel experientia atque rerum vsu. Bonitas naturæ atque ingenij subinde iuvat; nõnunquam officit. Sed maximè obest iudicij defectus à naturæ improbitate proveniens. Stulti namque seipsos ignorant, & nulli minùs sese norunt; nihilominus sapientes videri volunt; Duces ac Reges haberi ac prędicari. Et quò quis cerebri vacuitati propior est, eò minùs sui notitiam assequitur. Quo quidem in genere, gradus quidam numerari possunt. Nõ enim omnes æquè insani ac demẽtes. Quidam sapientes reputantur, quòd circa quædam benè iudicent, in alijs planè delirant. Quidam nõ insano sunt iudicio; sed perturbationibus atque

Comparatur duobus modis.

Bonitate ingenij.

Stultitiæ gradus.

que affectibus suis, ita adhærescunt, vt sensu communi ac iudicio carere videantur. Hoc in testamentis sapientum; hoc in vxoribus deligendis manifestissimum esse, quotidiana experientia comprobatur. Sunt deniq; quidam, ab ingenio optimè instructi, qui planè desipere videntur: idque, vel quia sibi sapientes sunt; vel certè alijs videri,& suopte ingenio, voluntate atque auctoritate metiri omnia volunt; hi subinde adeò abripiuntur æstu gloriæ humanę, aut desiderijs propriorum commodorum, vt omnes qui id vident obstupescant: qui fieri possit, vt tam dissona in vnum eundemque hominem iudicia concurrere valeant. Hic bonitas naturæ non deest, deest virtus & compositio perturbationum, atque affectuum compressio. Sic bonitas naturę & iudicij eminentia, perversis affectionibus atque ęgritudinibus corrupta, in errores gravissimos & ipsa inducitur, & plurimos secum in cœcos scopulos pertrahit atque allidit.

16. Experientia verò rerum magistra nos & attentos facit,& erudit: sapienter quidem; sed non sine multis concussionibus, casibus infaustis, ac depressionibus. Qui diu vivunt, cæteris diutiùs ac sæpiùs errant atque errandi occasiones plures inveniunt, & per diversos lapsus discunt, quid sint ipsi, quidve viribus suis possint; infirmitates variæ se pro- *Experientia.*

dunt, denique se nec quidquam posse; imò nec esse quidem fateri cogimur, nisi ab eo, qui verè est & esse rebus omnibus tribuit, sustententur ac fulciantur. Accedit omnem cognitionem, quam habere possumus, ab illo rerum conditore pendere, quemadmodum & vsum facultatum, quibus cognoscimus; fitque vt longa experientia stupiditas nostra nobis innotescat; tum in defectu recordationis; & memoriæ turpi lapsu; tum in erroribus incidentibus circa rerum veram apprehensionem; tum in varietate iudiciorum; denique in expressione sententiarum nostrarum, ac reconditarũ rerum in memoriæ sinu. In quibus omnibus tot anfractus, tot errores in eveniunt magna cum nostra cõfusione, vt velimus nolimus, fateri cogamur, in nobis tam multa desiderari, vt cùm consummasse videbimur, nondum à limine scientiam ac virtutes salutasse iudicemur.

Ex cælesti dono. Et supernaturalis dicitur. Iac. 1. 17

17. Supernaturalis cognitio alium rivum agnoscit, ex illo nẽpe immẽso oceano manantẽ, à quo *omne datum optimum & omne donũ perfectũ* speciali in singulos influxu derivatur. In vnũ copiosiùs, in alium moderatiùs, pro vt vnicuique spiritus munera sua diviserit. Hæc verò divina scientia, eò efficaciùs, clariusq; nos ipsos oculis nostris subijcit, quàm cognitio humana: quò sublimiùs, ac subtilius, lumen illud divinum illuminat, quam humanum

um. Accedit in hoc duplex confluere pręsidium; naturæ nempe ac gratiæ, quæ maiorem vim obtinent, quàm naturæ folius, præsertim cùm hęc ob curitate ac caligine non careat. Idcircò orandus est Deus, vt lumem illam animis nostris immittat, cuius etiam breuissimo tempore præsentiâ ac subsidio, plus assequemur; quam viribus omnibus totius naturæ adnitentibus, longissimo etiam tempore coniunctis & aggregatis.

8. Hanc notitiam consecuti erant Sancti viri amici Dei. Abraham, Iacob, David, cæteríque sanctè eminentes sanctitate homines, cælitus illustrati, quorum voces satis indicant, quid de se, quid de supremo sentiant numine. En eorum orationes & in primis magni illius Abrahæ: *loquar ad Dominum meum cùm sim pulvis & cinis. Domine minor,* ait Iacob, *sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quam explevisti servo tuo:* & Iob, *contra folium, quod vento rapitur; ostendis potentiã tuã, & stipulam siccam persequeris?* Dixit Esdras. *Deus meus confundor, & erubesco levare faciem meam ad te; quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum & delicta nostra creverunt vsque ad cælum* & Tobias ingemiscens cœpit orare cum lacrymis dicens: *Iustus es Domine & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas, & iudicium.* David verò

Probatur exemplis sanctorũ.

Gen. 18. 27.

Gen. 32. 11.

Iob. 13. 25.

Esdræ. 9. 6.

Tob. 3. 2.

Saüli.

Saüli, *quem persequeris*, ait, *Rex Israel? Quem*
1. Reg. *persequeris canem mortuum & pulicem vnum.* Hec
24. 15. sanè demisse de se loquendi ratio, ac modestia facile persuadet aliquid in hisce viris fuisse, quod naturæ lumen superaret; ac cognitionem quandam infusam extitisse, quæ scientiam humanam excederet. Quam si sequamur, non allidemur ad scopulos in ascēsu huius nostri montis, atque adeò tam abruptæ rupis; in qua hactenus versamur, & ex qua tam difficulter evadimus. Quare cum huius diei sensim accedat terminus. Concludendum est iter, & via terminanda hac vltima propositione.

Propositio. 19. *Qui consecutus est sui ipsius notitiā, magnum ad benè precandum, & cum Deo conversandum, adeptus esse gradum censeri debet.* Hec enim cognitio hominem spoliat omni fastu ac superbia, elatos spiritus deprimit, sentit de Domino in bonitate, de se in iustitia. Deinde exuit se fiducia propria; vt norit se miserum, omnibus indigere, ad alium recurrendum esse: qui subvenire atque opitulari possit. In eum spes omnes esse conijciendas, & ad eius ianuam perpetuò stipem esse postulandam. Ita ergò factum est vesperè & manè dies tertius *quo die omnes aquæ congestæ sunt in locū vnum, vt arida appareret, & terra germinaret herbā virentem, & lignum pomiferum faciens fructum, & habens vnūquodque sementem secundùm speciem suam.* Terrā istam

Cognitio sui gradus eminens ad orationis culmen attigendum.

Dies tertius creationis rerum.

Genes. 1. 11.

ſtam cor noſtrum eſſe Chriſtus Dominus declaravit, pulchra illa parabola qua refert exiiſſe, *qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, & dũ ſeminat, aliud cecidiſſe ſecus viam; aliud ſupra petram; aliud inter ſpinas; aliud denique in terram bonam.* De hac terra remotis aquis loquitur Iſaias. *Lætabitur deſerta & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium: germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.* Illa ipſa eſt, quæ ſubinde *trigeſimum*; alias quæ *ſexageſimum*; *centeſimum* denique fructum profundit. At aquis, operta nihil proferet: nec enim coli, ararique poteſt. Quæ verò ſint aquæ iſtæ ſuper terram diffuſæ; die præcedenti, quo diſtinximus aquas, *quæ erant ſuper firmamentum, ab his, quæ erant ſub firmamento*, diximus. Hæ etenim aquæ ſunt partim voluptates tranſeuntes & mobiles, aut etiam ſtagnantes, in terram cordis corporiſque noſtri fuſæ, ex cœnoſo lacu fœdæ libidinis, in quo bufones, & ranæ, ſerpentes & dracones, vitiorumque monſtra deliteſcunt: partim etiam variæ, pernicioſæ impiæque opiniones, erroreſque, cùm circa religionis puritatem, tum circa morum honeſtatem deteſtandi; perverſa denique iudicia quoad res agendas & noſtri ipſius notitiam. Hęc quamdiu mentem animumque occupant, ſpes fructus affulget nulla; excoli non poteſt animus, nec aratro mortificationis proſcindi. Locus verò vnus

Terra quid ſignificet

Luc. 8.

Iſa. 35. 1.

Aquæ.

ad

ad quem aquę aggregandæ dicuntur est ma-
Mare. re. Mare mundum significat, varijs mutationibus, tempestatibus, motibusque obnoxium; plenum piscibus parvis & magnis, qui se invicem devorant. *Hic totus in maligno positus est* Hę omnes *aquæ putidæ ac sceleratæ* confluunt. *& dimittamus mortuos sepelire mortuos suos.* Dicat ergò Dominus oportet *congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum,*
Isa.35.6 *& appareat arida* : tum enim terra *germinans germinabit, quia scissæ erunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine & quæ erat arida erit in stagnum* (id est irrigua), *& sitiens in fontes aquarũ,* qui ariditati fœcunditatem in portabunt; atque efficient, vt fructum & semen generis sui vnaquæque planta, ac singulæ virtutes producant. Hoc profectò continget, si re-
Cultura. mota nostri ignorantia (in qua infiniti errores, subdolæ opiniones, iudicia falsa, tanquã
Fructus. aquæ, cordis nostri terram opprimentes, delitescunt) terram ipsam solis calori expo-
Semen. namus; nostrique cognitione inductâ eundem Dei hortum, aut agrum egregiè excolamus, & pœnitentiæ vomere, studioque evellendorum zizaniorum, vrticarum, veprium seu pravorum habituum; amoreque virtutis consequendæ, proscindamus. Sequẽtur demum optati fructus, & cum fructibus semina, quę ad posteritatis conservationem, in obsequium divinæ maiestatis colliguntur,

: in solum exculum ac fertile sparguntur.

SECTIO TERTIA.

Dies quartus in ascensu montis.

De quarta rupe ignorantia ac cognitione Dei.

REm arduam aggredimur & rupem conscendimus, ex qua infiniti pręcipites ruunt; vel imprudentes vel ètiam prudentes dataque opera. Nihil enim difficilius, quam sentire & loqui de Deo pro dignitate. *Deus summè cognoscibilis.* Etsi enim summa illa maiestas & clarissime iustitię sol, ex natura sua summe illustris sit, & radijs suis cuncta peruadat: desunt tamen oculi tantę lucis capaces: & si quis plùs æquo scrutari tantam maiestatem conetur, opprimetur a gloria.

Nihilominus cum ipse principium sit rerum omnium, ac finis, eoque omnes oculos intendere debeant; qui salutem assequi velint, eum cognoscant oportet. Et sanè cum *Cognoscitur ob inanimatis.* cæteras res omnes, tum maximè hominem a fine condidit, vt Deum suum cognoscát & prędicēt. Inanimatæ res ipsum dignoscere non possunt, nisi instinctu quodam naturæ, quo feruntur ad finem a primo principio destinatum. Ideò sapiens dicebat *vniuersa* *Prov. 16* *propter semetipsum operatus est Dominus.* Hinc illum

Psal 148 8. illum creaturæ insensibiles audire videntur; quia, *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum,*
Psal. 146 9. *quæ faciunt verbū eius. Qui dat iumentis escam ipsorum & pullis corvorum inuocantibus eum.* Et, *o-*
Psal. 146 9. *culi omniū in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. aperis tu manum tuam*
A brutis. *& imples omne animal benedictione.* eodem modo *cognouit bos possessorem suum & asinus præsepe*
Isa. 1. 3. *Domini sui.* Cognoscunt ergò creaturæ mutæ Creatorem suum, sed impetu quodam naturę ingenito, quem ipse rerum omnium auctor illis indidit vt ab omnibus, qui rationis sunt compotes, ipse parens & architectus omnium possit agnosci.

Creaturæ omnes laudant Creatorem. 3 Prędicant tamen creaturæ omnes suum Creatorem & illi iubēti promptè obediunt: *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum eius annuntiāt firmamentum: dies diei eructat verbū, & nox nocti indicat scientiam: non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Habent enim & astra, maximè verò lumina illa duo illustria sol ac luna voces suas: habent & dies & nox. Habent & oues & boues auiculę & anseres loquelā suam. Nimirum. *Interroga iumenta,* ait Iob, *& docebunt te & volatilia cæli & indicabunt tibi. Loquere terræ; & respondebit tibi; & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit.* hæc sapientissimè Iob, *cuius oculi perspicaciores,* solem hunc lucentem in creaturis eiusque radios

radios & dignoſcere, & ſuſtinere poterat. *Inviſibilia enim Dei, a creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Ergò non tantùm hęc inviſibilia, nempe ea, quæ de Deo eiuſq; gloria, divinæ paginæ referunt; in auctorē ſuum ferri, ſed et nos maximè etſi nobis caligant oculi, in illius maieſtatis cognitionē venire poſſumus. Quod ſi non veniamus, nō eſt defectus deprædicantium divinas laudes creaturarum: ſed quia non advertimus & aliis intenti, ea que ſalutis noſtræ ſunt, quæque Dei gloriam ſpectant, negligimus.

4. Obediunt verò cuncta maieſtati illi, & verbo eius obſequuntur. *Quis eſt hic* (aiebant illi, de quibus Beatus Matthęus) *quia & venti & mare obediunt ei.* Et quidem obediunt ordinario naturæ ſuę curſu & propenſione poſtpoſitis. Ad vocem enim Ioſue ſol ſtetit, nec vltra progreſſus obedivit conditori ſuo, voluntati ſervi ſui obſequenti. Precibus quoque Ezechię, non modò ſol, qui rapidiſſimum curſum circumagit, loco ſtetit; ſed etiam retroceſſit ad decem gradus in horologio Achas, hoc eſt ad decies centena & nonaginta qinque millia Italica, cum ſexcentis ſexaginta novem ac nonnullis minutis. Ignis in fornace babylonica *tres Hebræos Sydrach, Miſach & Abdenago omnino nō tetigit, neque contriſtavit neque quidquam moleſtiæ intulit.* Deo actionem ſuam removente, ſine qua

Matt. 8. 28.

Ioſue 10. 12.

Daniel 3. 50.

nihil moveri potest, & cui omnia obediunt? obediunt, inquam omnia, si solam hominis liberam quidem, sed perversam voluntatem tantæ potentiæ repugnantem excipias.

Æquum est, vt ab homine cognoscatur.

5. Quòd si cuncta suo modo Deum suspiciunt ac venerantur; & ea quidem, quæ in subsidium tantum hominis condita sunt: nōne potiori iure, vt ipse homo Deum suum quærat, cognoscat, amet ac veneretur, ratio naturaque ipsa postulat? Sanè nos teneri Deum quærere, investigare ac cognoscere, lex naturalis ipsa demonstrat; quæ vult parentes à filijs agnosci, iisdem deferri, eos diligi, ac honorari. Dictat eadem, ab eo petenda alimenta ac subsidia, cùm corporis, tum animæ, à quo originem traximus. Verùm quis subsidium petet ab eo, quem minimè cognoscit? Quærendus ergò est & adorandus, vt primū principium; amandus vt parens; timendus vt iudex.

Hoc Deus cupit.

6. Hoc ipsum rerū Conditor à nobis exigit, & cognosci desiderat. Idcircò enim nos condidit, vt eum cognoscamus, amemus, & eius beatitudinis efficiamur participes, idq; persæpè per Prophetas suos, testatum reliquit. *Vacate & videte*, ait, *quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra: & non glorietur sapiens in sapientia sua: & non glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur dives in divitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, sci-*

Psal. 45. 11. Iere. 9. 23.

e & nosse me: quia ego sum Dominus qui facio mi-ricodiam & iudicium & iustitiam in terra. A-ud Oseam verò, *misericordiam,* ait, *volui & n sacrificium; & scientiam Dei plusquàm holo-custa.* Osē.6.6. *Noße te,* ait Salomon, *consummata iust-tia est, & scire iustitiam & virtutem tuam, radix t immortalitatis.* Sap. 15. 3. Quod cum homines attin-ere non possent, & vix quidquam de divi-s rebus assequi, immensa illa Maiestas fi-um suum ad nos mittere dignata est, naturâ ostrâ vestitum, quò faciliùs & exemplo & octrinà, incomprehensibilia illa mysteria peremus. *Deum,* ait *nemo vidit vnquam: vni-nitus filius qui est in sinu Patris ipse enarravit no-.* Ioan. 1. 18. Et ei quidem credimus, tum quia Deus ; tum quia à Patre procedit & novit om-a; tum denique quia Patrem vidit, & ex rta scientia atq; experientia de divinitate quitur. Hinc ipse Christus dicebat. *Nemo it ad me, nisi Pater meus qui misit me traxerit n: Non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui eo est. Hic vidit Patrem.* Ioan. 6. 44. Denique *scimus quo-m Filius Dei venit, & dedit nobis sensum: vt co-scamus, & simus in vero Filio eius. Hic est ve-Deus & vita æterna.* Ioan. 5. 20.

Præcipit etiam. Constat ergò de voluntate divina, quòd it, (vt etiam æquum est,) agnosci: sed : satis: verùm id ipsum mandat ac præ-it severissimè, & quidem cum intermi-ione æternæ damnationis. *Ite,* ait Aposto-

Mat. 16. lis, *in mundum vniversum, prædicate evangelium*
13. *omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit. Qui verò non crediderit condemnabitur.* Ex quo constat divinę voluntatis esse, vt ipse ac eius mysteria nobis innotescāt: ideò enim Apostolos, ad nos, cum amplissima potestate destinat, eisque mandat, vt omnes doceāt & salutis præsidia exponant ac confe-
1. Ioa. 4. rāt. *Omnis qui diligit*, ait D. Ioannes, *ex Deo na-*
7 *tus est & cognoscit Deum: qui autem non diligit, non novit Deum; quia Deus charitas est.* Argumentū S. Apóstoli tale est. Nemo, qui Deum non diligit, qui ex Deo natus non est, salutē assequi potest: at qui non cognoscit Deum minimè potest diligere (quis enim amaverit quem non noverit) nec ex Deo nasci potest: ex cognitione enim hęc vita nascitur.
Ioa. 1. ita idem Beatus Ioannes testatur *Quotquot*
12. *autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, ergò qui Deum non novit, nunquam salutem assequi poterit.

8. Et hęc vsque adeò vera sunt; vt etiamsi nulla cuiusquam culpa, ignorantia illa accidęret; vti in pueris videre est: nemo tamen aut sine baptismo, aut sine fide in adultis, salutis portum possit attingere. Baptismus enim hominem sanctificat, & virtutes ad salutem necessarias infundit.

Nemo salutem 9. Addo tantopere cognitionem Dei ne-

cessa-

ceſſariam eſſe, vt adultus nullo modo iuſtificari poſſit ſine cognitione vnius Dei, ac Sanctiſſimæ Trinitatis, & fide expreſſa vnius mediatoris Dei & hominum, hominis Chriſti Ieſu. Quod non tantùm de Ethnicis & infidelibus videtur aſſerendum; ſed etiam de Chriſtianis, qui iſta myſteria, etiam ſine ſua culpa, non callent, vbi enim peccatum aliquod lethale admiſerint, ſi hac cognitione mediatoris careant, opportuna media ac diſpoſitiones ad iuſtitiam recuperandam, non habent. Ratio huius eſt. Quia nemo iuſtificari poteſt ſine diſpoſitione ad gratiam; prima verò præparatio eſt, noſſe quem offenderis; à quo gratiam ac remiſſionem peccatorum repoſcas ac recipias; & cuius eam meritis aſſequaris: at qui ignorat Deum ac Sãctiſſimam Trinitatem, myſterium itẽ incarnationis ac mediatoris gratiæ, ac reconciliationis auctoris, hac diſpoſitione vti nõ poteſt, quæ nobis vt neceſſariũ mediũ proponitur. Sequitur ergò hominẽ manſurum in peccato eo, nec reverſurum ad eum, à quo iuſtitiam adipiſci poterat. Atque adeò verum eſſe quod ab Apoſtolo dictum eſt: *Si quis autem ignorat; ignorabitur.* 1. Cor. 14.39.

aſſequi poteſt ſine Dei cognitione.

Neminẽ ſalvari ſine cognitione myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis & incarnationis.

3. Huc facit; quòd ſine habitu fidei, ſpei & charitatis beatitudinem attingere nemo valet. Nemini enim his divinis habitibus carenti debita eſt merces ac lumen cæleſtis

gloriæ. At habitus isti divini sine sacramẽtis, aut certè sine prævijs exercitijs harum virtutum, non infunduntur; exercitia quoque harum virtutum elici non possunt sine cognitione Dei, & filij eius Iesu Christi Domini nostri. Sequitur ergò neminem adultum salvari posse (etiamsi absq; sua culpa huiusmodi mysteria ignoret) si cognitione illa careat, qua Deum necessarium medium ad iustitiam recuperandam assequendamque salutem, & esse, & prædicari voluit. Hinc disertè Christus Dominus. *Hæc est enim vita*
Ioan. 17. 3. *æterna vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quid si qui non cognoscant? Quamdiu non cognoscunt carent vita, nec æternam adipiscentur, nisi eum cognoscant, qui petenti dat vitam ęternam. *Qui enim non crediderit condemnabitur*, sed credere non potest, qui non cognoscit hanc doctrinam; quam Apostoli, evangelijs & epistolis totis confirmare, & penè aliud nihil, conati
Ioan. 20. 30. sunt. Hinc Beatus Ioãnes concludens evangelium ita ait. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*

11. Magnus sanè hominum defectus ex hac parte. Pereunt infiniti, & quidem maior pars mortalium, cùm propter ignoran-

tiam

ſtam eamque penè ſolam rerum fidei. Nos
a rupe permoleſta verſamur; gradatim pro-
edamus & conſideremus,quàm difficile ſit
ex hoc præcipitio homines eximere. Qui-
dam enim ſine culpa quidem ſua, auctorem
naturę ac gratię ignorant planè,& hi digniſ-
ſimi ſunt commiſeratione. Hos vt ſalvaret
Dominus Ieſus è ſinu Patris, & gloria ma-
ieſtatis ad nos deſcendit, vt tamquam Paſtor
optimus in caulam ſuam humeris proprijs,
errantes oves reportaret. *Alias*, inquit, *oves
habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili & eas oportet
me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum
ovile, & vnus paſtor.* Gentiles intelligit, quos
prędicatione ſanctorum Apoſtolorum ag-
gregavit, & quotidie aggregat; cùm
in varijs mundi partibus, tum in Indijs
orientalibus, & occidentalibus. Hæ animæ
perirent ſine lumine prædicationis: non
quòd iniuſtus ſit Dominus, qui damnet in-
nocentes: ſed, tum quia per reatum primi
parentis iuſtitia exuti ſumus, (qua abſente
ſalvari non poſſumus, hæc eſt enim lex vni-
verſalis. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpi-
ritu ſancto non poteſt introire in regnum cælorum.*)
tum quia fragiles ſumus & vix ſine peccati
noxa diutiùs ſtare, nedum perſeverare poſ-
ſumus. Hinc fit, vt non pauci proprio reatu
æterna pœna mulctentur; cæteri qui culpa
propria carent, viſione beatifica privabun-

Gradus ignorantiæ & cognitionis Dei.

Ioan.10. 16.

Ignorantes cur damnentur.

Ioan.3.5.

tur sine alia pœna sensibili. Accedit nonnullos excusari non posse à culpa, ratione luminis naturalis, quæ in Dei vnius cognitionem, vt diximus, deducit. Vnde Rex David, *Multi*, inquit, *dicunt, quis ostendit nobis bona* tum addit: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vnde si quod in se est, homines facerent; Deus non deesset officio parentis, & salutis præsidia non negaret.

Psal. 4. 6.

12, Alij sponte claudunt oculos ne iustitiæ solem obortum videant; & quamvis illum agnoscere faterique nolint; coguntur tamen veritatis efficaciâ in animo aliter quã dicunt sentire; maximè ob vehementiam luminis naturalis, ac divini in oculos etiam cœcos irruentis. Tales arbitror esse omnes Atheos nostri temporis & Machiavellistas, qui seponunt libertatis, & commodorum carnis suæ causa, Dei notitiã; donec in infernas domos veniant. Tunc velint nolint, fateri Dei numen, vi verberum, & ignis intolerabilis scutica cogentur. Verba hæc sunt Divi Pauli, *Revelatur ira Dei de cælo, super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum qui veritatem Dei, in iniustitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit.* Quis enim credet sapientes Philosophos, falsitate simulacrorum cognitâ; visis tot divini Numinis argumentis ac indicijs, vnum rerum omnium auctorem penitus ignorasse?

Ignorãtes spontanei gradus secundus.

Rom. 1. 18.

Quis

Quis credet Atheos nostros ignorare dissimu-
lationem suam, nec sentire in veritate de ve-
ro orbis vniversi Rectore? At clare non
cognoscunt; ita est. Sed vnde hęc obscuri-
tas? eis profectò hæc accidit, tum propter
aversionem spontaneam improbæ mentis à
Deo: tum propter amorem rerum creata-
rum & voluptatum illecebras, spesque ma-
gnas dignitatum opumque obtinendarum.
Non obscurè tamen eos perspicere, affulgēte
cælesti eorum mentibus lumine, eorumque
conscientias exulceratas stimulante, dubitādi
nulla subest occasio. Sic eos Beatus Paulus
ignorātia statuit laborare, vt tamē sint inex-
cusabiles, imò & maximè culpabiles; *quia* Rom. 1.
cùm, cognovissent Deum (ait,) *non sicut Deum* 21.
*glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanue-
runt in cogitationibus suis: & obscuratum est insi-
piens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti* Rom. 1.
*facti sunt. Et mutaverunt gloriā incorruptibilis Dei,
in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, &
volucrum, & quadrupedum & serpentum.* Ex qui-
bus colligere est, hos sapientes, non tam ex
ignorantia cœcutire, quàm studio & malitia
perversis animi affectionibus actos. Vnde
addit Apostolus. *Propter quod tradidit illos Deus
in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Abrep-
ti enim immundæ cupiditatis desiderijs, vo-
luptatem honori divino prætulerunt, & af-
fectata ignorantia Deum videre noluerunt:

Iob. 21. 17. ne quòd, amore perverso, complectebantur deserere cogerentur. De his loquitur Iob. *Qui dicebant Deo: recede à nobis, scientiam viarū tuarum nolumus.* Quasi dicat. Si tu desiderijs nostris votisque subscribere velles, non detrectaremus scientiam & cognitionem tui; sed quia legem ac doctrinam optatis nostris contrariam profers, *scientiam viarum tuarum nolumus.* Hactenus de Atheis & ignorantibus spontaneis.

Gradus tertius. Christianorū stupiditas. 13. Alius gradus inter Christi alumnos reperitur. Quidam enim valde ignari, parùm intelligunt quę loquũtur. De Deo nunc vera nunc falsa; modò decenter, modò absurdè, solo naturæ instinctu, & sine discursu sermocinantur. Ad singula, Dei nomen, numenq; vsurpant: eum esse misericordem, iustum, malorum vindicem. Intereà si quid imprudentes faciant, si quid temerè, si quid libidinose agere decernant, ita statuunt se quod Deo placuerit, facturos; & cum fecerint, statuunt Deum ita voluisse; sicque imprudenter ad graves scelerum scopulos allidũt, & planè contraria dictis perficiunt. De his ita Dominus. *Non omnis qui dicit mihi Domine,* Matt. 7. 21. *Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, ille intrabit in regnum cælorum.* Et: *populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Huc spectant hæretici qui falsa pro veris credunt, de Deo spe-

ciosa

tiosa proloquuntur; turpissimè tamē in quibusdam hallucinantur, quod & in antiquis & nostri temporis hæreticis perspicuum evadit. Hos omnes redarguit Salomon, *Vani sunt omnes homines in quibus non est scientia Dei.* Isaias quoque: *cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognovit & populus meus non intellexit.* Psalmographus verò. *Convertātur peccatores in infernū; omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.* Et Christus Dominus: *multi dicent in illa die. Domine Domine, & tunc confitebor illis; quia nunquam novi vos; discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.*

Hereticorum. *Sap. 13. 10.* *Isa. 1. 3.* *Psal. 9. 18.* *Matt. 7.*

14. Quartus ignorantiæ gradus subinde ex defectu instructionis oritur, sine malitia tamen; & qui hac laborant sanè venia digni videntur: subinde etiam ex malitia provenit. Nam etsi fideles sint; fide tamen rarò vtuntur, & fidei scientiam in praxi reijciūt: humanas & politicas rationes sequentes. ab inspirationibus divinis mentem avocant, conciones & bene monentes fugiunt, eosque rident ac sub sannant. De his dici potest. cum Beato Paulo: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. stultitia enim est illi; non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Multi tales reperiuntur præsertim addicti ventri & libidini: sunt enim planè animales, spiritum non habentes, & vti animale & spiri-

Gradus quartus. *Qui fide non vtuntur.* *1. Cor. 2. 14.*

spirituale dividūtur inter se: ita & spirituales & animales: hi interrogētur de spiritualibus, nō respōdent; quia nō magis ea capiūt, quàm si spiritum non haberent. Intellectum habent, spiritum Dei, qui spiritualia excipiat ac discernat, ostendunt se minimè habere:
Iere. 4. omnia divina ac humana in risum & iocos; in
22. nugas & scurrilitatem convertunt. Eos Ieremias redarguit acriter. *Quia stultus populus meus me non cognovit: Filij non sapiētes sunt & vecor-*
Ephes. 1. *des.* Beatus Paulus huiusmodi spiritū mundi
19. exhorrescens pro Ephesiis orabat. *Non cesso,* inquit, *gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & revelationis in agnitionem eius.* Sine hoc vtique spiritu, spiritualia non penetrant, & verbum Dei non capit in animis nostris. Et
Gradus hęc quidem quæ hactenus diximus, ad *vespe-*
quintus. *ram* huius diei pertinent, nunc ad luciferum
Cognitio accedamus.
fidei seu 15, Alij ergò (qui gradus est quintus) fide
scientia vtuntur, & actiones suas ex fidei principijs
viarum dirigunt, vocaturque illa cognitio *scientia vi-*
Domini. *arum* Domini à Iobo. De hac loquitur etiam
Iob. 21. Sanctus Ioannes. *In hoc cognoscimus, quoniam*
14. *cognouimus eum, si mandata eius obseruemus.* Et
1. *Ioa.* 2. Oseas Propheta. *Viuificabit nos post duos dies, &*
3. *in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspec-*
Ose. 6. 3. *tu eius, sciemus sequemurque vt cognoscamus Do-*

minum

ninum. Tribus enim diebus seu sacramenti pœnitentiæ partibus, contritione, confessione, & absolutione suscitatur peccator; satisfaciendo verò pro peccatis præteritis, viuere incipit, & Dominum sequitur crucem baiulantem, sensimque crescit in scientia viarum Domini. Item *misericordiam volui & non sacrificiũ, & scientiam Dei plusquã holocausta*. Per scientiam Dei intelligit obedientiam, quæ comprehendit cognitionem diuinæ voluntatis, & executionem eiusdem. Regius Propheta sic loquitur. *Deus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum*. Illi namque verè intelligentes sunt, qui Deum requirunt, eiusque mãdata obseruant. Ista est scientia viarum Domini: nam mandata Domini, actiones, exempla, vestigia, virtutes quas nobis proponit imitandas, viæ Domini sunt, *& viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ*. Qui has vias cognoscunt, obseruant ac sequuntur; scientiam viarum Domini (quibus ad cælum ascenditur; quibus in hac vita aditus ad consortium cum Deo ineundum paratur) assecuti sunt. Gradiamur nunc vlterivs; *ambulemus dum lucem habemus vt non tenebræ nos comprehendant*.

Ose. 6. 6.

Psal. 52. 3.

Prover. 3. 17.

Ioan. 12. 35.

16. Sextus ergò gradus vocatur sapida scientia, vno verbo Sapientia. De hac loquitur Sanctus Ioannes. *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus, & simus*

Gradus sextus. Sapientia.

1. Ioa.5. 20. *in vero filio eius.* Et Salomon: *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorũ.* Et Christus Eccle.17 6. Dominus. *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus* Matt.11 25. *& revelasti ea parvulis.* Dicebat B. Augustinus. *fac precor me Domine gustare per amorem, quod* In medi. *gusto per agnitionem: sentiam per affectum, quod sentio per intellectum.*

Vt differt à fide. 17. Sapientia namque à priori gradu sic differt, quòd prior cognitio fidei lumen non excedit: sapientia aliquid ampliùs continet, vel gratiæ actualis Dei amicum visitantis, vel certe amplioris cognitionis, ex amore ardẽtiori excitatæ. Deinde cognitio fidei, obscurior est; sapientia illustrior. Illa non semper supponit charitatẽ: hæc omnino charitatem continet; Illa incipientibus propria est: ista proficientibus, & perfectis. Illa sine sensu & affectu graditur; hæc comites habet saporem & sensum omnium virtutum & deliciarum spiritualium. Illa ante charitatem nascitur: hæc charitatem sequitur; & eandem charitatem, à qua nata est, perpetuò generat, nutrit, & auget. *Hanc amemus à iuuentu-* Sap.8.2. *te nostra*; hanc cum Salomone *quæramus no-* Illa *est bis sponsam aßumere.* quia amplissimos the- quærenda. sauros secum adfert, & ditat diligentes se. S. Hieronymus, in illa verba, *si quæsieris eã quasi* In glossa *pecuniam.* Qui, (ait,) *thesauros effodit, terram* Prov. 2. *reijcit; foueam in altum facit; sedulus insistit donec inveniat*

nveniat quod quærit: sic qui thesauros sapientiæ inuenire desiderat, omne pondus terrenum à se reiiciat, in se fossam humilitatis faciat, nec quiescat, donec inueniat. miseratione dignum esset; si cùm in remota aliqua regione, infinita vis esset pretiosorum lapillorum, atque gemmarum; indigenę adeò rudes ijs pro vilibus saxis in structuram domorum vterentur. Et j quoque meritò compassione digni sunt, qui cùm sapientiam habeant ad manum *ipsa enim clamitat in plateis, si quis diligit sapientiam ad me declinet, & illam inueniat, & cum inuenerit beatus erit, si tenuerit eam*, illam tamẽ minoris faciant, quam lapillos & terram rubeam: & cum toti sint in quærenda pecunia, nihil operę ponãt in quærendis & inveniendis illis opibus, quę argento, auro, regnis & sedibus, ęstimatione ac dignitate longè præstant.

Simile. Prov. 21. 6. & cap. 8. 1.

8. Septimus gradus vocatur scientia Sanctorum de qua ita sapiens. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas & ostendit illi regnum Dei & dedit illi scientiam Sanctorum.* De Iacob proficiscente in Mesopotamiam ad Laban hæc dicuntur. Nobis verò scripta sunt: *quæcumque verò scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sũt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* In rupibus versamur, in quibus multi anfractus, Mæandri, præcipitia, loca abrupta; quærimus ergò ducem qui nos ducat per vias rectas, vt possimus ad montẽ per-

Gradus septimus Sap. 10. 10. Scientia Sanctorũ Rom. 15. 4.

pervenire, vbi videamus regnum Dei, & addiſcamus ſcientiam ſanctorum: & dicere poſſimus cum Apoſtolo, *nobis revelavit per*
1. Cor. 2. 10. *Spiritum Sanctum: Spiritus enim ſcrutatur etiam profunda cordis. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti*
Philip. 3. 8. *Domini mei.* De eadem idem Apoſtolus ſcribit Colloſſenſibus. *Ideò nos ex qua die audivimus, non ceſſamus pro vobis orantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali, vt ambuletis digne Deo per omnia placentes.*

Collo. 1. 9.

Vt à ſapientia diſtinguitur.

19. Hęc ſcientia, etſi à ſapientia diſtingui non videatur; quia & ſapida ſcientia eſt, & ex fonte ſpiritus procedit: nihilominus & in dono ſapientiæ, & ſcientiæ gradus quidam ſunt: alij plùs habent alij minùs: multi nãque nunc vivunt inſigni prudentia ac ſapientia prædití: at nihil ad Sanctos Patres: qui Deo familiares, ſcientia cælitus infuſa excelluerunt; quales omnes fundatores Ordinum, qui Spiritu Sancto ſuggerente, leges ac conſtitutiones ſacroſanctas alumnis ſuis reliquerunt. Quales & ſancti Doctores, Baſilius, Chryſoſtomus, Gregorius vterque, Nazianzenus & Niſſenus. Idem inter latinos Gregorius magnus. D. Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus & ſimiles. Quorũ monumenta ſpirant pietatem. Et de Bernardo ſat conſtat, ipſum plus è monte orationis, quàm

Par-

'arnaſſi, hauſiſſe ſcientiæ.

ɔ. Vocatur autem ſcientia ſanctorum; quia ɔlis Dei amicis, eiſque interno affectu con- ınctiſſimis confertur, ita loquitur Christus)ominus Apoſtolis ſuis. *Vos autem dixi ami- os: quia omnia quæcumque audivi à patre meo, ota feci vobis.* Apoſtoli namque egregiè ſanc- i erant, præſertim poſt emiſſum ſpiritum, ųę ſanctitas diſpoſitio erat ad divinam hác :ientiam augendam. Vnde illis Chriſtus ıromittit. *Paraclitus Spiritus ſanctus quem mit- et pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & uggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Quare qui hanc ſcientiam appetit, odiſſe lebet cane peius & angue, quidquid Deo iſplicet. Egregiam deinde ſanctitatem cō- ıarare. Dehinc ſingulari erga Deum amore erri; cum eximia reſignatione, qua in om- ıibus divinæ voluntati acquieſcat: nuduſq; n omnibus rebus, coram Deo appareat nec eperiatur quid proprium, ſive voluntatis, ive iudicij, quod Deo ſapientiſſimo repu- ;net,

Cur ſcientia ſăc torum appellata *Ioan. 15. 15.* *Ioan. 15. 15.*

ı. Et hic quidem non conſideratur, an ſti amatores divini numinis, nobili proſa- ıia oriundi: an præclarè litteris exornati; ēd ſi egregia ſanctitate pręfulgean:, ſive ſ:m- ılices, ſive idiotæ ſint, hanc ſcientiam aſſe- ļuentur: quæ quidem in hiſce fructibus po- iſſimùm eluceſcit. Atque inprimis illi mo-

In quibus illa conſiſtat.

dum ac rationem quamdam internè perspectam habent, eamque familiarem, cum innata ad virtutem propensione, qua & oderint vitia omnia & occasiones peccandi diligentissimè fugiant, eadem propulsent: vel etiam, tentationes, providentia quadam eludant atque extinguant. Mirabilis Deus in sanctis suis; in pueris, in puellulis, quæ sic mundum ac vitia expugnarunt, vt prudentissimi quidem mirentur, rationes & modos quibus noverint evadere horrenda quædam præcipitia, propositis occasionibus, quæ ne sapientissimi quidem aut evitare aut superare valerent. Exemplo sunt Sanctæ; Lucia, Agnes; Catharina. Et ferè nostro ævo sancta Catharina Senensis, Maria de Ognies, Ludgardis & similes, quę longè cautiùs maiorique solertia ac prudentia peccatis etiam levissimis: quàm multi prædocti gravissimis sceleribus restitisse dignoscuntur.

I. Fructus.

22. Alter effectus huius scientię est, excellens quidam ac sensibilis amor, constans, fortis, ardens erga divinam Majestatem, quam tanti faciunt, vt malint, quidquid rerum est perdere: quidquid pœnarum est incurrere; quàm ab eius amicitia desciscere; aut eam in minimo lædere. De quo sponsus in canticis. *Fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aqua multæ non potuerunt extinguere chari-*

Fructus, amor singularis.

Can. 8. 6.

aritatem nec flumina obruent illam. Hic effectus
io continet, amorem cum affectu singula-
, nec sine sensu propensò in tantum ama-
orem, qui & pater & sponsus ei, & omnia
i omnibus est: alterum est conformitas vo-
intatum, vt quidquid ille velit: & quo mo-
o; & quando plane idem, homo com-
lecti atque exequi paratus sit.

3. Tertius effectus huius scientiæ, est dis- *Fructus*
retio spirituum. Norunt etiam tales idiotæ: *Discretio*
nde ventus, & impulsus interni veniant; *spirituum*
n à concupiscentia; an à natura; an à malo,
onove spiritu. Et quemadmodum agni in-
er mille oves, matrem; & oves inter gre- *Simili[illegible]*
es pastorem discernunt & agnoscunt. Et
ui vina probant ac pregustant ac delibant
x arte, norunt ex quo fundo nascantur: sic
 istę animæ, mammillā Salvatoris ex gustu
iscernunt, & vnde, & quo res vergat illicò
ognoscunt. Huic enim discretioni, adiunc-
is est eximius quidam timor Dei, quo per-
etuò etiam in minimis stimulantur, vt in
xcubijs agant, & quasi ex specula prospi-
ant adventum hostis. Nec facilè quidquā
dmittant, quod non ante benè discusserint.
Iulli ianitores in vrbibus finitimis ita ad-
enas excutiunt, ac merces invehendas exa-
ninant, sicut salutaris hic timor Dei cogita-
ones occurrētes explorat ac discutit. Hinc
t, vt perpetuo vsu, bonos à malis spiritibus

discernat, & virtutum ac vitiorum naturam apprime attingat ac cognoscat. Nihil æquè valet ad discretionem spirituum acquirendã, atque vigilantia ac discussio suarum actionũ; nihil ita quoque adiuvat vt destruendorum vitiorum ac virtutum acquirendarum studium; in quo perpetua lucta, frequentes victoriæ, lapsus subinde inopinati, excitationes, solatia, desolationes, & his similia, ex quibus qui hostes, qui amici; experientiâ dignoscimus.

Fructus Facilitas res spirituales apprehendendi.

24. Hi præterea perspicuè, magnaque facilitate res etiam abditas spirituales apprehendunt, ac concipiunt: fitque subinde, vt ex vno principio deducant excellentes, easque plurimas summi momenti conclusiones: & mysteria quędam occulta, tam clarè ac distinctè exponant, vt facilè constet illos scientiam illã divinitus adeptos fuisse. Scripsit Sancta Catharina senensis divinos quosdã tractatus spirituales, & tamen mysteria illa à nullo magistro alio didicisse quàm à Spiritu Sancto, extra controversiam est. Poterat eadem ac multæ aliæ de rebus spiritualibus, tanta efficacia ac copia tractare, vt si tempus non defecisset illis, oratio nunquam defuisset. Scientia illa divinitus infunditur. Et est scientia sanctorum aut certè eiusdem scientiæ effectus. Accedit ipsos ea quæ audiunt longè perspicaciùs ac vberiùs subinde excipere,

con-

concipere atque exponere, quàm, qui eadem pronuntiant; & ex eisdem sermonibus, discursus prestantes mira facilitate extendunt, ac sine mora promptissimè eloquuntur atque amplificant.

15. Respondent quoque scientiæ huic sua opera non imparia (qui & alius est fructus) quæ declarent summam in homine prudentiam, sapientiam, providentiam in rerum dispositionibus, etiamsi secundum mundi prudentiam eadem non omnibus probētur. Non carent tamen prudentia, & summa sapientia; stulta subinde & à fatuo profecta iudicantur: sed stulta illa est sapientia iudicio hominum huius mundi, quę Dei ac Angelorum oculis aliter apparet, *neque via vestræ, via mea (dicit Dominus.) Nam sicut exaltantur cæli à terra; sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris. Sapientia enim mundi stultitia est apud Deum* & *prudentia carnis, mors est. Scriptum est enim, perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Ita enim mundus se habet vt in quo sapiens & prudens videri vult, stultus apud cælites audiat. Nec fallūtur illi. Fallitur verò mundus, dum stultitiam ascribit rebus, quæ à Dei sapientia proficiscuntur. Qualia quæ à sanctis Apostolis annuntiata sunt. *Non misit me Christus,* ait Paulus, *baptizare; sed evangelizare, non in sapientia verbi vt non evacuetur*

Fructus.

Opera heroica.

Isai. 55. 8.

1. Cor. 3. 19.

Rom. 1. 16. & 1. Corin. 1. 19.

crux Christi. At, quid est, inquis, adeò plenum ac solidum in cruce Christi? Imò verò inquam nihil vsquam solidius ac plenius cruce Salvatoris. Mundus cerebro vacuus, vacuam crucem arbitratur: at plenissima sapi-
1. Cor 1. 18. entia est, vnde addit Paulus. *Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est: ijs autem qui salvi fiunt, id est, nobis Dei virtus est. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & sapientiam, nam quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Quid ergò mirum si crux ipsa plenissima sit, cùm Dei sit virtus, & sapientia: cùm & in ea pendeat Crucifixus in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter. Deũ ergò cruci affixum esse, secundùm mundi prudentiam, est Christum fatuum prędicare. Itane res habet? Aliter iudicat Aposto-
1. Cor 2. 2. lus & gloriatur *se nihil scire præter Iesum & hunc crucifixum;* & *placuit per stultitiam prædicationis salvos facere crędętes.* Hęc ergò Sapiens
1. Cor 1. 21. stultitia est: sicut & mundi, stulta est sapientia. Hac sapientia excellunt ij qui se stultos profitentur in mundo, ac dicunt cum Apostolo
1. Corin 4. 10 *nos stulti propter Christum.* Hinc est quod omnes ordinum Patriarchæ tanti fecerint hanc sapientem stultitiam; vt profiteri eam voluerint: & alumnis suis tanquam magnum sapientiæ monumentum relinquere, non

tan-

antum scriptis legibus; sed & habitu ac pro-
fessione externa: omnes enim religiosi cum
sancto Paulo publicè profitentur. *Nos stulti*
propter Christum. At quomodo apparet vos 1. Cor. 4. 10.
esse stultos propter Christum? Quo id signo
profitemini? Qua tessera? Tessera stulti est
capucium; quod tanti faciunt veri Apostolici;
vt nihil illustrius, nihil præclarius in orbe
reputent. Atque hi viri sapientes assumpserunt
reipsa capucium sapientis stultitiæ,
profitentes & in eo gloriantes, tanquam de
nobilissima tessera sanctitatis, ac prudentiæ
cælestis. Et quamvis nonnulli eos considerantes
perperà stultos, opinione sua existiment:
ipsi tamen se magno honore affici
arbitrantur; quod stulti appareant: sed propter
Christum; & lubenter hanc vocem vsurpant,
nos stulti propter Christum, vos autem
prudentes in Christo. Hinc nonnulli simularũt 1. Corinth. 4. 10.
stultitiam vt hanc sapientiam coram Angelis
profiterentur, qualis Beatus Franciscus,
qui initio conversionis suæ, puerorum cœtibus
sese insinuabat & ab eis petebatur luto
& lapidibus; omnibus se summa animi sui
voluptate, ludibrio exhibens. Veruntamen
veri sapientes, qui alio oculo, rem interpretabantur
pro sapientissimo eum habebant.
Simeon Sales multis annis occulta sua sanctitate,
stultitiam effinxit, ac reipsa stulta quædam
objiciebat, quibus pietatem ac virtutes

ſuas occultaret. Simeon Stilites annis facilè triginta in columna omnibus cæli iniurijs expoſitus permanſit. Hęc cùm videntur non omnibus probantur, ne ijs quidem qui in Chiſto ſapientes reputantur: quia non fiunt ſecundùm prudentiam ordinariam, ſed inſtinctu quodam divino: qui non omnibus perſpectus eſt; & multa in ſanctis mirari convenit, etſi ea imitari non omnibus contingat. Hæc verò opera à ſcientia Sanctorum proficiſcuntur; vt qualis ſcientia affulget; talia & opera ac virtutes emicent.

Nota

26. Gradus adhuc ſupereſt his omnibus altior, qui ab Harphio, Inactio dicitur; ab alijs cognitio ac vnio eſſentialis ad quam quę allata ſunt, & quę in poſterum adferentur ſcalæ, ac diſpoſitiones meritò dici poterũt. Verùm de ipſa Inactione & vnione eſſentiali pauca aut nulla, pręter ea quæ in libro de ſtudio perfectionis diſſeruimus dicenda videntur: nam pertinent ad extaſin ſeu raptum. De quo ſcribere ſupervacaneum videtur. Nam extaſis non eſt in noſtra poteſtate, & quidquid egerimus & diſpoſitionis adhibuerimus, ſemper res manet extra ſphæram noſtræ activitatis; niſi enim Deus infinita ſua bonitate nos præveniat in benedictionibus ſuis, viam communem atque ordinariam ſequi ſemper tutius eſt. Miracula enim ſine neceſſitate petenda non ſunt,

Gradus octavus.

Lib. 1. cap. 30.

ſunt, ne Deum tentare videamur. Nemo verò rapitur ſine evidenti miraculo: non enim eſt in poteſtate hominis cognoſcere abſque phantaſmatum opera; nec poteſt ſpecies cæleſtes intellectuales ſibi pro arbitrio mutuari. Atqui præcepta dare de re quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſupervacaneum videtur.

17. Alij aliam ſcientiam ſeu cognitionem ponunt mediam inter raptum & cognitionē ſeu ſcientiam ſanctorum. Vt eſt apud R. Ruſbrochiū qui inintelligibilia dicit & repugnātia philoſophiæ & bonæ Theologię. Qualia ſunt Deum vniri homini ſine medio, & eſſentialiter. Explicat hoc. Huius ſunt verba. *Oportet, ait, vt vivendo egrediatur ad virtutes acquirendas, & moriendo egrediatur in Deum. In quibus duobus vita eius perfecta conſiſtit, ſuntq; in ipſo ſimul coniuncta & adunata, ſicut materia & forma; corpus & anima.* Lib. Samuel. c. 5 Item poſt aliquot capita. Ibid. c. 8 *Porro ſupra rationem & amorem activorum in nudam quandam viſionem, & ſine actione in eſſentialem amorem elevatus eſt: atque inibi vnus ſpiritus, & vnus cum Deo amor eſt; atque in hoc eſſentiali amore, per eam, quam cum Deo habet vnionem eſſentialem, infinitè ſuum excedit intellectum; & hæc communis eſt hominum contemplativorum vita.* Hæc ille. Et multa diverſis locis quæ communi modo loquendi ſacræ ſcripturæ & ſanctorum Patrum, repugnant: &

à legibus Theologiæ ſcholaſticæ diſſentiunt.
28. Huiuſmodi tractatus cùm in manus ſæcularium ac vulgarium hominum veniunt, & maximè mulierum, vernaculo idiomate, ſi non obſint certè parum proſunt; & ordinariè lectores elatos ac contentioſos reddũt, ſpirituales nullo modo. Non enim obſcuritates affectatæ, ſpiritualem hominem faciunt; ſed veræ virtutes & nominatim ſingularis humilitas, & ſincerus amor diuinæ Maieſtatis: non eſſentialis. Non enim amamus Deum eſſentiali amore, nec cognoſcimus Deum formaliter, ipſo tamquam forma eſſentiali actus noſtri. Nec vnimur Deo ſine medio. Imò ne Beati quidem: medium eſt gratia & virtutes; medium eſt actus ipſe inter nos & Deum; & in actu, non ipſe eſſentialiter nobiſcum vnitur; ſed eius gratia cõcurrit nobiſcum. Et licet eſſentialiter ſit vbique; non tamen vbique vnitur, cum rebus omnibus eſſentialiter; nec voluntas amare poteſt ſine actu: nec Deus efficere, vt illum amemus ſine nobis: ſeu actu noſtro vitali. Iſti ſanè modi loquendi parum ędificant, ſi non potius deſtruant, & tenebras menti offundant.
29. Quæ verò ad ſcientiam myſticam pertinent, ſaluo meliori iudicio, tradi debent à magiſtris, qui id experti ſint, quod docent: alioquin, rudes in ſpiritualibus, erunt obno-

ij infinitis illusionibus, & in gravissimas tē
ationes maxime superbiæ, & præsumpti-
nis immergentur. Quare existimo parvo
ructu, aut fortè magno detrimento huiuſ-
nodi libros edi in lucem vulgari lingua; &
itis esse, si legantur à doctis, qui & ipsi pro-
ectò laborant, vt intelligant cùm vix intel-
gibiles videantur. Claritas doctrinę præ-
larum necessarium ornamentum orationis
st, loquimur vt intelligamur, si nō intelligi-
nur prętat nō loqui. Nec valet quod quidā
espondent, qui non intelligunt, mirentur.
ed spiritus Dei non admirandi, sed ędificā-
causa doctrinam suam exponit. Quare
multum assequemur, si in scientia sanctorū
aneamus cum humilitate. Si *Dominus ma-* Eccl. 39.
us voluerit spiritu intelligentiæ aut etiam pro- 8.
hetico aut extatico *replebit nos.* Cæterùm
es hic optimè quadrat cum quarto die cre-
ionis rerum. Quo Dominus fecit duo *lu-* Gen. 1.
inaria in firmamento cæli, quæ dividant diem ac 14.
ctem, & sint in signa; & tempora; & dies, &
nos, Duo luminaria sunt, luna quę pręest
octi. Et sol qui diem efficit, Lunæ compa-
tur cognitio, quę per solam fidem habetur,
hæc etiam in tenebris hominum, in pec-
atis degentium lucet, nec frustra: magno
nim est illis adiumento, vt pœnitentię ta-
ulam agnoscant & arripiant, atque à nau-
ragio redeant ad iustitiæ portum. Soli me-

ritò

ritò sapientia ac scientia sanctorum comparatur. Lucet enim per diem in animis iustorum ac perfectorum: adiunctæ eis sunt, stellę seu virtutes, quæ sapientiam comitantur; & sicut luminaria illa condita sunt, vt luceãt super terram, & præsint diei ac nocti & dividant lucem ac tenebras: Ita vtraque cognitio discriminat iustos ab iniustis, progressum in spiritu ac profectum in virtute. Non enim in viris religiosis anni professionis computandi sunt, sed virtutum acquisitarum gradus. Hi pleni dierum dici debent qui dies virtutibus ac meritis impleverunt. Cognitio verò, sanctorum hæc omnia distinguit adolescentiæ nempe iuventutisque transactæ flores, & virilis ætatis fructus, & declivis vitę maturitatem, ac denique vitæ benè beateq; Gen. 1. 19. concludendæ exitum designat. Sic ergò *factum est vespere & manè dies quartus.*

SECTIO QVARTA.

Dies quintus in ascensu montis, seu profectu in studio orationis.

De quinta rupe nempe confidentia in Deum.

Confidentia in Deum laus. 1. ET in hac rupe tenebrę atque anfractus; labendi sanè occasiones non desunt. Tamen si qua benè orandi conditio; si quę

quę, aliquid impetrandi ratio; si quod, fortiter atque invicto animo impedimenta rei bene gerendæ propulsandi, aut etiam evertendi, consilium præsens desideretur, si solertia ad pericula evadenda, hęc inquam prolixè, ac cumulatè, in ipsa confidentia reposita, & quærenda, & invenienda sunt. Hac enim acquisitâ, omnipotentiam quandam induimus ad obtinendum à divinitate quidquid piè sanctéque petierimus. Hic ergò vespera primum; hic deinde diei lux invenienda sunt.

. Atque inprimis ad tenebras pertinet, difficillimum esse discernere, quid confidentia sit. Et difficiliùs eam totam in divino Numine constituere, ac collocare. Confidentiæ enim nomen obscurum est, & si in te eam colloces, nec speres quidquam à Domino, nihil obtinebis. Nec valet si inprimis in te, deinde in Deo quoque spem reponas, nisi altero pede claudicare velis. Nec laudandum si de divina bonitate confidas: de te verò non diffidas. Soli Deo debetur honor rerum agendarum, & gloria rerum præclarè gestarum. Tibi confusio faciei, & humiliatio sub potenti manu Dei omnipotentis. Duo enim hæc *diffidẽtia sui*, & *confidentia in Deum* separari non debent. Errant ergo gravissimè, qui nec diffidunt de se, nec in Deum spes suas collocant. Vnde mirum non est, si rarò quod

Quid confidentia

Errores varij.

Confidẽtia variæ species.

quod optamus, si quod precamur, obtineamus. Verùm ne erremus in hac tam periculosâ rupe, gradatim prudenterque procedamus.

3. Quidam orant, non modò sine fiducia, sed ne quidem cum desiderio aliquid obtinendi. Quotus enim quisque est qui templū ingrediens cogitet in particulari, quid à Domino velit, vel petere vel obtinere? Quis inter precandum (excipio ferventiores) aliquid petat speciatim, quo se indigere declaret? Si desiderijs incensis non teneamur. Certè credendum est, nec ea ipsa à nobis postulatum iri: est enim desiderium stimulus fiduciæ, & postulationis. Hi fiducia carent, quia desiderio carent rei obtinendæ; nec precantur; sed vel aliquid legunt animo planè vago & aberrante. Tales sunt qui perfunctoriè orationi vacant. De quibus scriptura: *maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.*

Iere. 48. 10.

Confidētia vana. In huius mundi honoribus & officijs.

4. Alij desiderijs non carent & ijs quidem maxime incēsis; præsertim si humana quærantur, vt opes, dignitates, officia, promotiones. Verùm ij toti sunt in præsidijs humanis, & eo præsertim nomine, quòd à Deo votis suis minimè satisfactum iri sibi persuadeant. Illi ergo pessimè dispositi sunt, vel ad præclara quædam facinora suscipienda ac prosequenda; vel ad tentationes molestiores

ores superandas; vel ad Deum demerendum & aliquid ab eo impetrandum. Videamus quid sacræ paginæ de ijs statuant. Atque inprimis de impiorum fiducia. *Spes impij*, ait Salomon, *tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: tanquam fumus, qui à vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Hæc vana spes hominum, quid spuma gracili fragilius? Quid fumo inanius? Ecquæ memoria hospitis vno die pretereuntis? Talis est spes ac fiducia impiorum. *Lapides excavant aquæ*, ait Iob, *& alluvione terra cõsumetur, & homines ergò similiter perdes* Domine. Addit idem propheta *hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* O spes hominum inanes quę in puncto incipiunt, & in eodem desinunt! Quid mirum. Nam & mundum istum, punctum reputant sapientes; & comparatione cæli vix atomus est, æternitatis collatione mundi duratio vniversa, punctũ est: & ideo in puncto navigamus, in puncto ædificamus, in puncto itinera vasta peragimus, in puncto dies, mẽses, annos, lustra, sęcula decurrimus: & spes hypocritę, illius puncti minima pars (si pars aliqua inveniri potest) à Iobo describitur.

Sap. 5. 15.

Iob. c. 14. 19.

Iob. 20. 4.

Et hæ quidem de impijs ac peccatoribus. Quos sustinere non debent, iudicio scrip- 1. Machab. 2. 62.

scripturę *à verbis*, ait *viri peccatoris, ne timueritis; quia gloria eius stercus & vermis est.* Sunt enim nonnulli qui sic sibi vivunt, vt Dei memoriam omninò postponant; eius auxilium non implorent, & quasi ipse non existeret, ipsi eo non indigerent, obliviscuntur. Subiunxit ergo Iob. *Sic via omnium qui obliviscuntur Deum & spes hypocritæ peribit.*

Hominibus. 6. Alij spes suas mortalium præsidijs Regũ, Principum, parentum, amicorum ope, eorumque amicitia ac favore stabiliunt, vt Dei subsidio egere minimè videantur. Fundamentum hoc debile est minimaque vi obiecta, corruet. *An speras in baculo arundineo atque*

4. Reg. 18.21. *confracto, Ægypto; super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur Manum eius, & perforabit eam; sic Pharao Rex Æygpti omnibus, qui sperant in se,* Ægyptus mundum significat. cuius auxilio, qui innituntur, manus perforant, quas nec ad Dominum elevare; nec opera salutaria perficere; nec ad pugnandũ tenere, amplius valent; atque adeò orationis præsidio; meritis bonorum operum, & victoriæ corona privantur. Contingere quidem potest, vt & ij Principes, & amici potẽtes, iusti sint ac boni: nihilominus prima fiduciæ nostræ basis, Deo innitatur necesse

Psal. 145 est. Ideo, *Nolite* ait David, *confidere in principibus, in filijs hominum in quibus non est salus. Et bonum est confidere in Domino, quàm confidere in*

homi-

homine. bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Id est, melius est, prius est, solius est, summa rerũ est, sperare in Domino . . . O, *maledictus homo,* ait Ieremias, *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Brachiũ Ieremiæ 17. 5.
Domini, omnipotentia Dei, comminuit omnia sibi repugnantia. Brachium hominis caro est, & impotentia. Non frangit mollis caro saxa, non evertit rupes, ferrum non comminuit. Elige ô homo alterutrum. Maledictus eris, si carnem ponis brachium tuum: *Benedictus vir qui confidit in Domino. Expectatio iustorum lætitia; spes autem impiorum peribit.* Iere. 17. 7. Proverb. 10. 28.

Confidunt alij in divitijs; & ijs elati divina negligunt præsidia. O stulti mortales! quid anima vestra opum ac divitiarum hinc migrans secum feret? *Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris. Est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis. Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum gloriantur. Simul insipiens & stultus peribunt & relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum Domus illorum in æternum.* Salomon verò nos monet. *Qui confidit in divitijs suis corruet;* sed optimè Apostolus. *Divitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo.* Incertum auxilium minus idoneum est fiduciæ collocandæ fundamentum, relicto Confidentia in divitijs. Eccli. 5. 1. Psal. 48. 7. Proverb. 11. 28. 1 Tim. 6. 17.

Confidē-tia sui. præsertim certissimo & infallibili.

8. Sese nonnulli plùs æquo æstimant, & corda attollunt, quæ Deò subijcere deberent. Sanè *qui confidit in corde suo stultus est*. Quid enim cor hominis vt extolli debeat, cùm pūctum extrema acu vitam deferat? Quis in re adeò debili, omnia sua tanquam in arce munita reponere audeat? At sapientes sunt, fortes, iuvenes, generosi. *Leo rugiet, quis non timebit? Vincet* eos *leo de tribu Iuda*. Si hominis vita, vapor sit ad modicum parens & brevi exterminari debeat: quid ea omnia proderunt? *Væ*, ait Isaias, *qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, habentes fiduciam super quadrigis; quia multæ sunt; & super equitibus, quia prævalidi nimis; & non sunt confisi super sanctum Israel & Dominum non requisierunt. Non est prudentia, non est sapientia, non est consilium contra Dominum.* Beatus Augustinus hæc, quæ diximus pænè omnia brevi sententia complectitur. *Quis est*, ait, *qui confunditur? Qui dicit, quod sperabã, nõ inveni. Nõ immeritò: sperabas de te, sperabas de amico. Maledictus autem qui spē suam ponit in homine. Cõfūderis; quia fefellit te spes: fefellit spes posita in mendacio: omnis enim homo mendax. Si autem spem tuam ponas in Deo tuo, non confunderis; quia ille in quo spem posuisti falli non potest.* Hæc Augustinus. Illud ob oculos nostros versari semper debet, quod Richardus à Sancto victore sapientissimè inq-

Proverb. 28.26.

Amos 3. 8.

Apoc.5.5.

Isa.31.1

In Psal. 6.

Lib. Cant. c. 31.

nonuit. *Impossibile est quemquam de se ipso triumphare posse, donec experimento didicerit, propria virtute se non posse obtinere triumphum.*

. Sed gradiamur vlteriùs. Hactenus nō ignota diximus. In tenebris latet præsumptio, quę omni studio per fas & nefas Dei gloriam urari; & arrogantia, quæ sibi attribuere atq; scribere conantur; quę Deo debentur. lauda- ile est virtutũ gloria prę fulgere. At quis vir- itis auctor? Et cui gloria debetur? Hoc non idet arrogās, quia præsumptio sic ei oculos lausit; eoq; crudeliùs grassatur, quò impu- entiùs sibi vendicat alienũ; eò immaniùs, uò id quod Dei solius est, sibi audentiùs vsur at. Nō videt, inquā, se bene de se opinari & udabiliter ex sese agere & apud se statuere : præclarè gestis honorē reportare. *Qui con- dit in cogitationibus, impiè agit,* inquit Sapiens. t: *non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut urus, ne fortè elidatur virtus tua per stultitiā, & lia tua comedat, fructus tuos perdat, & relinquaris lut lignum aridum in eremo.* Taurus bestia est ımanis, Cogitationes pręsumptionis & rogantię, brutis cornutis similes: nempè riosos ac pervicaces, si audiantur, reddunt omines, qui gloriam ab alijs quęritant; eosq; ıe & fructibus virtutum & folijs sermonũ rudentium exuunt. Et sicut qui cornibus urorum impetuntur, graviter sauciantur, ex læsione, virtus corporis eliditur: Ita &

Præsumptio multiplex.

Proverb. 12.2.

Eccli. 6. 2.

qui cogitationibus arrogantiæ feriuntur, virtutes amittunt, animique sanitatem; atque inglorij denique remanebunt, qui honorem Deo debitum sibi attribuere conabuntur.

10. Alij arrogantes se esse negant; eò quòd rationem ducem sequi sese in factis suis arbitrantur, à qua nolint recedere: & hæc magna arrogantia est, ac sui præfidentia. Nam se sibi sufficientes rati, antequam res aggrediantur, os Domini non interrogant, eius opē non implorant, suo solo consilio & inchoare, & prosequi, & concludere statuentes: ad quid? Vt quandoquidem soli auctores esse videbuntur, solis etiam laus tribuatur, & gloria suo nomini ac familiæ perpetuò adhæ-

Serm. 13 in cant. post med. rescat Speciosa facies: at ex cauda serpens agnoscitur. *Fratres*, ait Sanctus Bernardus, *Nemo vestrum velit laudari in hac vita: quia quidquid favoris hic capias, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim vnde gloria putide pulvis? Tibi vnde? De vitæ sanctitate? Sed Spiritus est qui sanctificat: spiritus dico, non tuus, sed Dei.*

11. Præsumptio quoque magna est, periculo se exponere; vbi nulla vrget necessitas. Vt qui ebriosorum convivijs lautis; qui lascivus se iuventuti dissolutæ immiscet; qui confidentiùs, quamvis castus, cum mulieribus etiam sanctis, exhibet se familiariorē; qui sensus externos, oculos præsertim, ac manus, male

nalè custodit. Hi se magno labendi exponunt periculo. Quare si labantur, meritò temeritati suæ ascribere debent. Necessariũ esset, & quod in nobis est, efficere, & Deum precari, vt infirmitatem nostram fulciat, ne vel incauti sensibus aliquid indulgeamus; vel si prudentibus vti ijs necesse sit; gratia sua nos teneat, ne cadamus, aut à conscientiæ nostræ puritate quippiam alienum admittamus. *Qui amat periculum in illo peribit.* Qui fugit periculum à periculo liberabitur. Eccli. 3. 27.

12. Præsumptionis quoque est; tristitia affici, si contingat nos expectatione nostra frustrari: dolor enim iste superbiam occultam tegit. Cur tristaris? Quia perficere quod volo non possum. Cur non potes? Quia mihi non succedit quidquid attentem: & à Deo impediri conatus mei videntur. Pete ab illo, vt tibi opituletur. Nolo id facere: non lubet me adeò tum demittere: etsi, eius ope, ex sententia eventus succederet, illi acceptum ferre deberem; quod gravatè facio; cùm optatius sit, mihi ipsi gratulari, & gaudere. Insania hæc magna est, sed occulta tamen: nec mirum: nam superbia semper latere nititur. Quòd si oculos occupare, atque occludere non possit, angulum quærit, vbi lateat; nec sanè semper in sordibus: sed plerumque in virtutis simulachro, & sub pallio rectæ rationis delitescit, vt quò occultior, eò

perniciosiùs omnia operum merita populetur.

13. Huic proximam addo perniciem, nec minùs occultam: nempe quod homines dum sua peragunt, rationes humanas sectentur; solisque subnixi naturæ viribus, arduas res aggrediantur, ac gerant: virtutum præsidio, etsi possint, vti tamen nolunt. Longè faciliùs & certiùs hostem superabis, si in te fidem cæterasue virtutes excites, & Dei amorem honoremque tibi proponas: sic enim blanda vanitas, quæ ad ostium cordis tui in insidijs subsistit, ignominiosè fugabitur: animusque resumptis viribus magna aggredietur, eaque constantiùs explebit. Alioquin si rationes humanas secutus, vel minimum incommodum à rationibus tuis alienum superveniat, dorsum vertes, clypeum hastamque abijcies. Intereà Dei causa, & publica res, expectatione fructuque suo frustratur, qui multis nominibus, ac pretio comparandus esset; & hic occultę præsumptionis fructus est. Cur ergò virtutibus non vteris? Cur non assurgis supra vires humanas? Cur te divino præsidio prudens & volens exuis? Quia putas te sufficiētem, & sine divina ope, rem perfecturum; & ex ea, commoda te consecuturum, propter quæ, non Dei causa, ea susceperas: vtque tibi gauderes & gratulareris, tanquam de re à te benè gesta, & gloriam

tiam auramque popularem reportares. At divina iustitia meritò permittit conatus tuos irritos reddi, & optatis tuis contrarium exitū sortiri; res præclaras, per humiles servos suos perfici, vt pudore suffundaris, & cognoscas Deum tua opera non indigere; neque ipsū talibus instrumentis ad res reipublicæ vtiles gerendas, & ad gloriam suam promovendā, vti velle. Hi ergo omnes parum idonei sunt qui cum Deo familiariter conversentur, aut magna atque ardua quæque suscipiant: cùm viribus humanis innitantur, quibus & nihil infirmiùs dici atq; excogitari potest: & supremo Numini prætermisso derogatur. Atque hęc quidem ad vesperam pertinent. Nunc luciferum solemque orientem suscipiamus.

14. Diximus nonnullos spe, imò desiderio aliquid obtinendi, curaque omnino carere: alios abundare desiderijs, sed in humanis præsidijs spem omnem reponere. Reptando in hac tam abrupta rupe procedamus tandē & emergamus. Non desunt qui pleni desiderijs ad Deum confugiunt: sed vel sanè frigidè, vel certè sine perseverantia: rati enim quòd prima petitione obtinere debeant, quod postulant; si eis ex voto res non succedant, despondent animum, & rerum successus fortunæ aut industriæ suæ committunt: S. Hieronymus ab hac insania nos revocans;

Tertia species cōfidentiæ.

In lamēt. Iere.

Qui, ait, ad cupita pervenire voluerit, reflectere mentem à studio orationis non debet; sed magis perseverare in intentione cœpta illum oportet. Hinc est quod in libro Regum de Anna scriptum est, quòd postquam oraverat, vultus eius non sunt amplius in diversa mutati. Et divus Gregorius in psal. 6. pœnitentialem, De profundis: *Non, ait, clamo, sed clamavi. Habes in hoc perseverantiæ documentum, vt si primò non exaudiris, ab oratione non deficias. Imò precibus & clamoribus insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.*

Quarta species.

15. Alij meliores sunt. Nam & magno spiritu longa perseverantia, negotia sua apud Deum prosequuntur; negant tamen, se confidentiæ certioris sensum experiri. Nec existimant ex vi illius certitudinis rem obtinere; sed cõmuni tantum providẽtia nituntur, qua Dominus petentibus dona largitur, vel in particulari, vel certè in specie. Vt v. g. Qui nominatim peteret à Deo vocationis donum ad religionem; id ei Deus negaret; quod sciat ipsi hoc nullo modo expedire: concederet tamen in specie excellens quoddam gratiæ munus, quod æquaret petitionis eius meritum. Atque hic gradus non est contemnendus: imò qui hucusque progressus est, nõ frustra studium orationis arripuit. Nam via communis & ordinaria, hæc ratio est, qua divina providentia fideles dirigit.

Non

Non omnes mirabilia faciunt; non omnes motus illos divinos sentiunt, quibus certò sibi persuadeant, vel impetratum iri, quæ cōceperunt; vel etiam ea quę naturæ vires excedunt ad exitum prosperum se posse perducere; nec à nobis hoc exigit Dominus: sed vt conditiones, quæ ad bene sperandum requiruntur, habere studeamus. *Conditiones veræ confidentiæ in Deum.*

16. Hę autem esse possunt. Inprimis incensa charitas, sine qua sperare, aut confidere non liceat. Si enim inter Deum & nos amicitia non constet, sanè neque nos Deo, neque Deum nobis fidere velle sperandum est: qua enim ratione ei confidere poterimus, qui peccatores odit: & nisi redeant in gratiam, omnino eos perdere, æternisque supplicijs addicere statuit. Optimè Divus Ambrosius. *Ex fide*, ait, *charitas, ex charitate spes, & in se sancto quodam circuitu revoluuntur.* Et Beatus Augustinus, *non enim*, inquit, *speratur, quod non amatur.* *in cap. 17 Lucæ.* *in Enchir c. 117.*

17. Fides quoque necessaria est: est enim fiduciæ fundamentum. Quia namque certò promisit Deus ęterna bona, & qui promittit fallere non potest, nec falli: antequam sperē, certus esse debeo, spe mea me nequaquam frustrandum esse. Idcircò mihi credendum est, certò certius me à Deo auditum iri & reportaturum orationis meę fructum, si quid, vt oportet, ab eo postulem: quando-

 quidem

quidem ita promittit; & propensior paratiórque est ad largiendum, quàm promptior sim, ad postulandum. Audiamus quid Apostolis de certitudine fidei nostræ statuat, loquens de fiducia Patriarchæ Abrahæ. *In quo ait, abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem concilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incendentem vsque ad interiora velaminis: Vbi præcursor introivit pro nobis Iesus, secundùm ordinem Melchisedech; Pontifex factus in æternum.* Quàm egregiè, quàm solide Apostolus hisce verbis confidentiam nostram stabilit. Atque inprimis fiducia nostra nititur promissione divina: at hæc infallibilis est; quia assertio est primæ veritatis; est ergo fiducia nostra infallibilis. Accedit, promissa etiam Dei iuramento confirmari. Quid fortius ex parte Dei immobilis, & infallibilis? Ex parte verò nostra, etsi timoris aliquid subsit, si nobis desimus: nihilominus si pro virili, tali fundamento fiducia nostra nitatur, Apostolus eam vocat anchoram animæ tutã & firmam; vt declaret eam esse inexpugnabilem, & omnibus huius seculi fluctibus, & tempestatibus fortiorem: anchoris enim, naves maximè alligantur, ne vi tempestatũ

Hebr. 6. 17.

disijci-

disijciantur, nos quoq; in medijs fluctibus, tẽpestatibus acti, fiducia tanquam anchora firmamur. Denique declarat Apostolus nos confidentiæ beneficio, in cęlis cum capite nostro Christo, quem pręcursorem vocat, conversari, & possessionem adeptos esse bonorum æternorum; sed & quodãmodo esse securos. Nam & pręcursor & Pontifex noster, non semel tantùm in anno, (vt antiquæ legis summus sacerdos) sed in perpetuum, ęternis sæculis, continenter, apud Patrem pro nobis interpellat. Ex quibus spei nostræ soliditas constat, eaque fretus Iob aiebat. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Et David Rex pientissimus. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.* Hisce tamen nonobstantibus, non ausim polliceri promiscuè omnibus, ipsos, in individuo, ac sigillatim obtenturos, quod petunt: neminem iustum tamen frustrari spe sua, si humiliter ac perseveranter aliquid à Deo postulet; eundemq; reportaturum quod eius saluti maximè expedire Dominus iudicaverit.

Iob. 13. 15.

Psal. 26. 3.

18. Conditio tertia timor Dei est. *In timore enim Domini*, ait Salomon, *fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spes; gloria & divitiæ in domo eius.* Nec timor hic certitudinem spei debilitat. Ex parte namque Dei, nulla subest dubitãdi ratio: ex parte verò nostra meritò dubitari

Proverb. 14. 26.

po-

potest; num ea præstemus, quę à nobis exigit Dominus. Ideo monemur ab Apostolo, *vt*
Phil. 2. 12. *cum metu & tremore salutem nostram operemur.*

19. Requiritur etiam vt comprimis omnē nostri fiduciam penitus exuamus; & nulla in re, præterquam in solo Deo spem omnē nostram ac fiduciam purè ac sincerè collocemus. Quod, quàm difficilè sit, altera parte
Proverb. 3. 5. huius sectionis explicauimus. *Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo*, ait Salomon. Et Diuus Basilius, *sicut nulli alij nos præterquam soli*
Orat. de principa. 20. *Deo cultum tribuere par est, sic etiam neque vlla in alia re, spem nostram constituere debemus, quàm in Deo omnium rerum Domino*. Hæc verò omnia pro vt par est præstare, quam difficile sit, nemo non videt. Meritoque cum metu ac tremore nobis est procedendum, atque omnino curandum, vt nihil quod pro salute nostra à Deo pręscriptum accepimus, pretermittamus.

20. Vltimus gradus sublimior est: & sanctorum propria: cum certò credunt se obtenturos, quod oratione apud Deum consequi
Quinta species cōfidētiæ nituntur. De hac loquitur Sanctus Lucas: cùm enim Apostoli Domino dixissent *adauge nobis fidem*. Respondit Dominus, *si ha-*
Luca 17. 5. *bueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare, & trāsplantare in mare, &*
Marc. 11 23. *obediet vobis.* Et Sanctus Marcus de monte ita ait, *Amen dico vobis; quicumque dixerit huic montī*

monti, tollere & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite; quia accipietis & evenient vobis. Totidem ferè verbis de ficulnea & montis translatione confirmat B. Matthæus. *Matt. 21.*

21. Sine dubio hæc magna sunt, & sine evidenti miraculo fieri non possunt. Consequẽter fiducia magna haberi debet, quæ miraculum pariat, & rem quæ in nostra potestate non est, factu facilem reddat. Non est opus, vt omnes hanc fiduciam miraculorum quęramus. Satis nobis esse debet; si eius cõditiones optemus, & plusquam miraculorũ patrationem ambiamus, prosequamur & verè possideamus. Conditiones verò seu dispositiones ad hanc confidentiam consequendam sunt, insignis *in Deum charitas ac proximi dilectio*. Deinde *conformitas* omnimoda voluntatis nostræ, cum Dei beneplacito, non tantùm in generali; sed & in omnibus & singulis, & maximè in re, quæ patrari, perficique, ex vi illius confidentiæ debet. Requiritur *& fides*, non generatim accepta; sed certitudo de re perficienda, quam molimur, & quidem incitati, motique à spiritu divino. Denique *oratio* necessaria est, quæ fiduciç est instrumentum, quæque actutum impetrat subinde ab omnipotente, quod homo infimus *Dispositiones.*

rmus, ne vel longissimo quidẽ temporis intervallo attingere potest.

Mar. 11. 22. Quod hic optare possimus, est: vt præceptum illud Christi impleamus. *Habete fidẽ Dei.* ac certò nobis persuadeamus, verissima esse omnia, quæ à prima veritate credenda per ecclesiam proponuntur. Fidamus etiam divinæ bonitati, & certo & infallibili assensu, Deum petentibus ad salutem necessaria nullo modo negaturum, quacumque demũ forma modove id concesserit. Diffidamus de nobis omnino, & exuamus omnem opinionem speciosam de viribus, potestate nostra ac meritis: totam spem conijciamus in eius, qui de nobis, quam optimè mereri desiderat, benevolentiam. Humiliemus animas nostras, coram eo, & conemur quotidie minuere defectus nostros; augere virtutes, sincero ardentique amore erga ipsum affici. Et quantum ipsum dilexerimus, tantumdem nosmet ipsi odio sancto prosequamur. Hæc est via, admiranda quædam patrandi: non prodigia aut miracula, quibus montes transferemus corporales; sed spiritualia quædam monstra propellendi, ac præclarissima quæque ad honorem divinę maiestatis efficiẽdi, longè maiori nostro merito ac gloria Dei; minori animæ nostræ periculo, quàm si ficulneam solo verbo transplantemus in mare. plura dicerem; nisi eodem argumento

fusiùs

fusiùs egissem libro secundo de studio perfectionis.

23. Tantùm superest vt declaremus *factum esse vesperè & manè diem quintum*. Quo die orbis conditi, dixit Dominus Deus *producant aqua reptile animæ viuētis, & volatile super terram, sub firmamento cæli*. Ad quod venustè Divus Ambrosius alludit versu quodam. *Gen. 1. 23.*

Feria quinta ad Vesperas.

Magne Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus,
Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aëra.

Demersa lymphis imprimens,
Subuecta cælis irrigans,
Vt stirpe vna prodita.
Diversa rapiant loca.

Tum ad spiritum ita rem applicat.

Largire cunctis servulis,
Quos mundat vnda sanguinis,
Nescire lapsus criminum,
Nec ferre mortis tædium.

Vt culpa nullum deprimat,
Nullum levet iactantia,
Elisa mens ne concidat;
Elata mens ne corruat,

Hæ

Hæc piè & ad mores aptissimè sanctus pater. Ex aquis ergo baptismatis pisces & aves producuntur. Quidam infernè remanent; alij supernè feruntur. Priores sunt, qui observatione mandatorum contenti ac communi in Deum fiducia, reptant in mari huius mundi quoad corpus: quoad animam tamen, non desunt fontes ac fluvij spiritualium gratiarũ, quibus immerganntur ac natent. At verò qui speciali quadam fiducia, instar avium, cælestia petunt loca, hi solem perpetuò intuentur, eius radijs incalescunt, atque æstuant. vicinissimi cælis, diem, quo æternum solem intu-
Gene. 1. eantur expectantes. Sic ergo *factum est vesperè & manè dies quintus.*

SECTIO QVINTA.

Dies sextus. De rupe sexta, perfecta sui resignatione.

1\. QVò viciniores sumus montis cacumini eò ascensus difficilior, & casus periculosior. Deus bonè! quale præcipitium, ab hoc gradu delabi ad primum, imò relabi in peccatorum abyssum? At Deus faxit meliora. Hic dies sextus, tenebras quoque ac vesperam posuit latibulum suum. *Multi enim; & esse volunt quod sunt; & semper facere quod volunt.* Hoc studiosi perfectionis &

Voluntas propria perniciosa.

Nota.

& cum Deo conversantis labefactat dignitatem: cùm enim Deus ipse velit esse omnia in omnibus: & nolit nostram, sed suam fieri voluntatem; turpe est in homine pio, & magis in viro perfecto, aliquid sui retinere: & in rem aliquam motu proprio, non Dei, propendere. His malis medemur resignatione absoluta, & omnimoda indifferentia.

2. Resigna te. Quomodo. Sicut beneficiũ aut officium quod tibi resignatum fuit. Quãdiu illud retines obligaris præstandis oneribus, quibus ferendis fructus assignati sunt. Tui curam Deus tibi commisit, vt corpus hoc mortale cum omnibus adiunctis regas. Sed inter cætera eminet libertas, quæ tibi credita est. Fructus non exiguos atque emolumenta ex his beneficijs, nempe vita, sensibus, libertate, corpore, & eorum obiectis percipis. Non desunt onera; sed hæc manebunt, quamdiu beneficia non resignaveris. Resigna totum Domino Deo, & consigna te tuaque omnia in manus eorum, qui Dei locum tenent. Et liber ab oneribus, facilè, celeriter, leviter montem conscendes. Hoc consilio vsa B. Virgo statim vbi in altissimam matris Dei dignitatem elevata est. Cũ dixit *ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et Saulus ex persecutore, Apostolus *Domine*, inquit, *quid me vis facere?* Eadem

Resignatio sui explicatur.

Lu.1.38

Act.9.6.

Soli. ca. 18. formula vtebatur B. Augustinus; *da Domine*, inquiens, *quod iubes, & iube quod vis*. Si quis medio mari in scapha, sine velo ac remis agitatus, huc illucque fluctibus; magnā

Similia. navim obviam haberet, cui scapham suam alligari trahiq; ad portum offerretur: nonne is meritò sibi lætandum esse censeret? Et nos in huius mundi periculoso mari, tentationum fluctibus agitamur: naviculam nostram difficulter regimus; tum quia navigādi arte caremus; tum quia Spiritus divini flatu destituimur persæpe; eò quòd vela ac dispositiones non adhibemus, nempe facultates nobis concessas minimè expendimus. Quid ergo consultiùs ac meliùs, quàm vt nos maiorum nostrorum, imò Dei ipsius gubernationi, hanc miseram vitę nostrę & rerum omnium nostrarum scapham alligemus, certò certiùs ad optatum portum appulsuri? Hi sanè felices reputant sese, quibus, cum montem arduum conscendunt onusti, sarcinam in alterius humeros deponere licet. Et nos libertate nostra, ingenti sanè onere (quod nec patres nostri sine casu, nec nos sine summa difficultate portare poterimus) oppressi, summi beneficij loco non habebimus, si Deus ipse, vel homo Dei loco, in humeros sarcinam hanc recipiat: denique debilis sit quispiam & pedibus & toto corpore infirmus, incedere nō

vale-

valeat; si quis sellam gestatoriam deferat; vel brachijs eum deportare contendat, nonne illum singulari beneficio solatioque afficere censendus est? & nos debiles pedibus, puerorum instar, vix stare sine casu valemus. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in nobis sanitas, & non gaudebimus, si nos portare quis gestiat, & quidquid infirmitatis est in nobis, in se recipiat? Climacus vir sanctissimus hisce argumentis de obedientia tractans, persuadere nobis omnimodam nostri resignationem nititur. *Grad. 4. de obedi.*

3. Noverant illi sancti patres quanta bona ac emolumenta, hæc virtus, quantam animo pacem importet. Idcircò, si quã de virtute tractationem instituerunt; de hac maximè. Et inter alios Divus Basilius in regulis fusius disputatis, pluribus locis, & in regulis brevibus reg. 69. Nostri enim curam suscipiunt superiores, exonerantes nos, sese oneri nostro subijciunt. Quo, quid nobis commodius possit accidere non video. Ideo Divus Paulus. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro vobis reddituri.* Stupenda res. quòd in die iudicij non tam à te, quàm à tuo superiore, de te ratio exigetur; & si malè egeris, sanguinem de manu superioris tui, Deus iudex iustus sit exacturus. Eleganter Divus Bernardus. *Qui ait, vestrum curam semel nobis credidistis quid rursum*

Resignationis fructus. *Reg. 41. & 48.* *Hebr. 13 17.*

sum de vobis intromittitis. Et Climacus. *Cùm tibi* inquit, *cogitatio suggesserit, vt Prælatum tuum diiudices aut damnes, ab ea non minùs, quàm à fornicatione resili; neque prorsus huic serpenti requiem præstes, non locum non ingressum, non initium. Loquere ad hunc draconem. O malignissime seductor, non ego ducem meum diiudicandum suscepi, sed ille me; non ego illius, sed ille mei iudex est.* Optimũ sane horum sanctorum patrum consilium, cui si pareamus; & fructum in animis nostris, & pacem, & aditum ad consortium cum Deo ineundum, inveniemus.

Impedimenta resignationis. 4. Difficultas si quæ sit huius virtutis exercendæ, ex hoc fonte promanat, quòd res quæcumque nobis eveniunt, ad rationes humanas referamus; & omnia quæ nobis agenda veniunt, hominum potiùs opinionibus, quã fidei fundamentis metiamur: cùm tamen hæc virtus, sua omnia non in hominum favores; sed in vnum Deum transferat ac resignet; quamvis nomine Dei, ab hominibus, vota ac donationes suscipiantur. Vnde dicebat Dominus. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Narrat Herodotus Amasin Regem Ægypti ex plebeo ad regnum evectum, cum se hoc nomine contemptui haberi videret, peluim auream, qua convivarum pedes abluebantur, confregisse, & inscijs subditis in simulacrum convertisse. Quod cum in foro erectum venerarentur; ipsis

Luc. 10. 16.

Lib. 2. hist.

ipsis ascitis, en inquit pelvis, in qua pedes lavare, in qua vomere consueveratis, divinos honores defertis; non aliam ob causam, quàm quòd in simulacrum redacta sit. Non est ergo, cur me regem vestrum, ex humili loco prognatum, complecti, amare, ac venerari recusetis. Sanè hominem obnoxium erroribus, ex humili ortum familia, eruditione non adeo præstantem, eloquentia non insignem, homines spernunt, parviq́ue faciunt: non religiosi quidem (quem ex vase contemptibili in eum dignitatis locum evectum, vt Dei loco præsit, cognoverunt) sed homines mundi spiritu imbuti, quiq́ue ea quæ Dei sunt minimè sapiunt. Hinc Beatus Paulus. *Non est potestas nisi à Deo; & qui potestati resistit. Dei ordinationi resistit.* *Rom. 13. 1.*

5. Huic virtuti soror adijcienda est; etsi enim quispiam se resignarit divinæ voluntatis arbitrio, exurgunt tamen subinde affectus quidam particulares ac desideria, quæ trahũt hominum animos ad res varias: & hæc resignationi perfectę plurimùm officiunt. Quidam enim mutandi loci summo desiderio tenentur. Si res à Deo geritur benè est: sin minùs, indifferentia, magna laus est in ijs qui sese suaq́ue omnia abdicarunt, & in vnũ Deum transtulerunt, vt in omnibus superiorum iudicio acquiescerent. Divus Basilius, huiusmodi affectum inordinatum ita descri- *Indifferentia soror resignationis.* *Institut. monasti. cap. 8.*

bit. *Horum, ait, volucris animus* (loquitur de ijs qui de cœnobijs in cœnobia concursant) *flabris quasi quibusdam pulsatur : eorum consilia similia vespertilionum volatibus sunt : quippe in directum nunquam feruntur ; sed tortuosi, & incerto volatu, huc illucque, temerè pererrant & circumaguntur.* Hæc instabilitas ex animi impotentia oritur, qui cùm indifferentem sese erga eum, cui omnia resignavit habere deberet ; abdicatis adhuc vtitur, vt proprijs. Quamquam negari non debeat, originem quoque eam habere subinde ex corporis infirmitate: quòd quia, vel dolores vel morbos in aliquo loco patitur, quos alibi excludere posset, animo parat inquietudinem.

Inquietudinis causa.

6. Eadem ratio est. ei loco, vel officio nimiùm affici, cui quis applicatus est, aut in quo residet, nec is paratus sit ad omnia præstanda, quę superior pro gloria Dei ac subditi salute disposuerit. Pari enim ratione decet, vt in exercitijs, officijsque omnibus verus Dei cultor indifferentiam ostendat. Negat Beatus Basilius debere religiosum quidquam habere in optatis, quod si fecerit eum infidelē esse pronuntiat. Non vult eum esse facilem ad aliquid postulandum; nec vllo modo ferēdum esse, si iussus quippiā recusarit ; ac tū demū; violare obedientiā ex hoc abundè testari se ipsum nondum abnegasse ; alijs denique plurimorum causam malorum existere. Hic demum

demum vesperam terminemus, & ad diem accedamus,

7. Hic actus resignationis perfectæ, duplicem actum habet, *alterum intellectus; alterum voluntatis.* Priori apprehendit, & cognoscit ac profitetur quidquid evenit aut evenerit, vel Deo auctore, aut certè ab eo permittete, iustissimis de causis, provenire; idque in omnibus rebus attente considerat, miratur, suscipit, veneratur ac prædicat, certoque apud se statuit, quidquid in perniciem aut punitionem hominum supervenerit, præsentibus quidem nonnullis officere atque obesse; Deum nihilominus ex malis optima quæque posse, ac solere elicere. Proinde si Reges, si Prælati, si superiores eligantur, quales optandi non viderentur; si hęreses exurgant, si bella civilia atque intestina, si vastitates agrorum, si lues contagiosa, si rerum omniũ ad vsum vitæ pertinentium penuria, si egestas, si morbi, amicorum interitus, bonorum amissionęs ac similes calamitates occurrant, qui resignatus, necesse est dicat cum Iobo: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus. Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit; ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Non dicit Iobus *Dominus dedit*, & Sabęi abstulerunt, sed *Dominus abstulit*, omnẽ in eum, causam referens, qui regit, permittit & facit omnia. *Et non est malum in civitate*

Resignationis actus duplex. Intellectus.

Iob. 2. 10

Iob. 1. 21

Amos. 3. 6.

tate, quod non fecerit Dominus. Idem Beatus Paulus, *mihi,* inquit, *vivere Christus est, & mori lucrum. Et siue viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur, siue viuimus siue morimur, Domini sumus.* Quare siue serenum, siue sit nubilum; siue res lætę; siue tristes adveniant; siue sani simus siue infirmi, resonet in animo, oreque nostro. *Benedicā Dominum in omni tēpore semper laus eius in ore meo.*

Phil. 1. 21. *Rom. 14. 8.* *Psal. 33. 2.*

Voluntatis.

8. Alter actus est voluntatis, quo lubenter acquiescimus voluntati divinæ, eiusque sapientiæ, & quidem cum summa resignatione. Et quidquid sit de desiderijs, quæ subinde nō temerè exoriuntur, maneat indifferentia, nec facilè magis in vnam quam in alteram partem inclinemur, nisi quatenus arbitremur divinę esse voluntatis vt ita fiat: nihilq; petamus, siue in tempore, siue in æternitate præstandum, quod tam in nobis, quàm in omnibus creaturis, voluntati divinę conformè non fuerit.

Resignatio conciliat cū Deo familiaritatem.

9. Hæc virtus vehementer promovet ad familiaritatem cum Deo nobis conciliandā. Præsupponit enim excellentem fidem, sapiētiam, & prudentiam eximiam: obedientiā deinde in excellenti gradu, atque eminentia comparatam. Charitatem cum virtutū omniū comitatu. Denique sentit de Deo pro dignitate, eique reddit, quod suum est, nulla re reservata, vt in totum hominem, pro

suo

suo beneplacito, imperium Dominiumque suum liberè, exercere possit. Et cum se, talis gratissimum exhibeat, seque Deo submittat, cum omni observantia, dubium esse non potest, quin eius conversatio ac familiaritas Deo gratissima futura sit.

10. Huic diei optimè quadrat conditi orbis dies sextus: in eo namque. *Deus condidit bestias terræ, secundùm species suas; iumenta & omne reptile terræ in genere suo.* Demum *creavit hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Iumenta & bestiæ terræ, ij sunt, qui sibi vivut; sibi credunt, quod Dei est, Deo non reddunt, cumque se sibi conservare arbitrantur, seipsos perdunt: qui conservarentur si ei se è resignarent, ac redderent, *in cuius manu sunt omnium potestates & omnia iura regnorum;* Tum demum vero similitudini Dei restituuntur, quando non tantùm, vt homines vivunt; sed iuxta destinationem conditoris, qui hominē ad finem longè nobiliorem elevavit, vt Filius Dei evadat per adoptionem & Deo similis sit per gratiam, sicut Dei filius nobis similis factus est per resignationem perfectam *Humiliavit enim semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Gen. 1. 25. Philip. 2. 8.

11. Hęc est ratio redeundi ad pristinam innocentiam & dominandi creaturis omni-

bus,& ijs sine animi perturbatione perfruendi. Vnde addidit Dominus, *faciamus hominem, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli & bestijs vniversæ terræ , omnique reptili ; quod movetur in terra.* Ita fit, vt talibus pareant aviculæ, serpentes, animantia fera, ac bruta, eosque agnoscant tanquam principes suos. quorum causa creata sunt: vt patet in Beatis Francisco, Gerasimo, denique Patre Iosepho societatis nostrę. Qui aves & serpentes demulcebãt, etiam maximè venenatos, & postmodum cum benedictione dimittebant.

Genes. I. 26.

12. Præsunt etiam monstris omnibus, aëreisque Dæmonibus dominantur, brutis passionibus, atque affectibus; toti denique terræ, & bestiarum more viventibus. Hi namque virtute divina ac potentia ornari, munirique merentur, qui Deum pro virili venerantur, seseque totos exuentes, quidquid suum est, ei à quo acceperunt, restituunt. ergo *factum est vesperè & manè dies sextus.*

Genes. I. 31.

(·.·)

LIB.

LIBER TERTIVS.

DE ORATIONE

SIVE CONTEM-PLATIONE.

STATIO TERTIA MOYSIS IN MONTEM ASCENDENTIS.

Via vnitiva, seu de Contemplatione.

TEXTVS DECIMVSSEPTIMVS.

Septimo autem die, vocavit eum de medio caliginis.

TAndem aliquando ad montis verticem nostra perveniet oratio. Vtinã & nos cum Moyse Dei præsentia ac consortio perfruamur. *Vocavit Moysen Dominus de medio caliginis; sed die septimo.* Sex integris diebus in medio heret caliginis, expectans Dei mandatum, vocẽque

que ad se invitantis. Felix quem Dominus dignatur post duros huius corporis labores, post animi desolationes, post multa anhelantis, ad intimam cum Deo vnionem animi suspiria ad montis verticem, ad iucundissimam conversationem invitare. Felices & illi, qui in caligine illa perturbationum, patienter Dominum sustinere possunt, & ex-
Psal. 93. 19. pectare invitantis gratissimam vocem. *Secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo, consolationes tua (ait David) latificaverunt animam meam.* Et ide Dominus pro longanimitate & patientia, mensura solatiorum animos nostros complebit: quando divina bonitas visitationis suæ nos gratia dignabitur. meritoque dicere quisque poterit. *Expectans*
Psal. 39. 3. *expectavi Dominum & intendit mihi, & exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos.*

SECTIO PRIMA.

De die septima & vltima rupe, atque impedimentis contemplationis superandis.

2. Egimus hactenus de orationis mentalis infimo gradu, nempe de meditatione & medijs eius assequendæ. Nunc de contēplatione agendum, deque eius impedimentis, & quibus rationibus ea superari valeant, hoc

hoc enim monte, nobis contemplationem designari, testis est Beatus Gregorius exponens illa verba Exodi 24. *Quia Moyses ascēdit & Dominus descendit in montem. Mons*, inquit, *est ipsa nostra contemplatio, in quam nos ascendimus, vt ad ea quæ vltra infirmitatem nostram sunt, videnda sublevemur. Sed in hanc Dominus descendit; quia nobis multùm proficientibus, parum de se aliquid sensibus nostris aperit.*

3. Alius est hic gradus. Et licet à medio caliginis vocemur, non tamen illicò, vel in lumine, vel in vertice montis invenimur. Opus est gradiendi labore, & periculum eò maius, quò in montis altiore parte versamur. Quanta iactura cũSisypho revolvi, cum saxũ ad montis verticem deduxit? Quanto detrimento post labores tot annorum in vita spirituali decursorum ad pristina remergi, sine spe & animo eandem viam iterandi. Et licet Dominus diei septimo benedixerit, & sanctificarit, requieveritque ab vniverso opere: quod & nobis futurum speramus, vbi ad verticem montis pervenerimus: nihilominus *complevisse* dicitur *Dominus Deus opus suum quod fecerat.* Nec dubium quin fuerit aliquid vesperè, antequam dies quietis illucesceret, similiter & Moyses vocatus est die septimo de medio caliginis, ergo & illo die adhuc latuit in caligine; ergo illo die ascendit.; sed pervenit. Et nos igitur caliginem deseramus, Gen. 2.

mus, à noctis tenebris recedamus, animos magnos ad superandam rupem extremam assumamus. A lapsu caveamus. Et vt contemplationis verticem attingamus, omni cõtentione mentis enitamur. Petamus ab ijs, qui eò pervenerunt, qui scopuli, quæ præci-

Serm. 5. de assu. B. Virg. pitia nobis vitanda sint? Beatus Bernardus tria nobis vitanda proponit. *Tria*, inquit, *sunt, quæ oculum intelligentiæ confundunt atque à contemplatione veri luminis excludunt. Tenebræ scilicet peccatorum; recordatio eorundem peccatorum; cura terrenorum actuum. Primo illo se turbatum plangebat propheta cùm diceret. Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum: cùm enim luce iustitiæ destituimur, nihil aliud quàm peccatorum nostrorum tenebras invenimus. Item secundo se gravari sentiebat, cùm dicebat. Conversus sum in ærumna mea: dum configitur spina: peccatorum scilicet recordatio. Tertio occupari se conqueritur, cùm dicit; quia cinerem tanquam panem manducabam, cinerem scilicet actionis pro pane contemplationis.*

Scopuli contemplatione impedientes.

Psal. 37. 11.

Serm. 23. in Cant. 4. Alium scopulum ponit idem S. Doctor, corporis invaletud nem. Quæ animi quoque constantiam labefactare, atque inquietam solet reddere. *In hoc arcanum*, inquit, *& in hoc sanctuarium Dei*, nempe contemplationis; *si quem fortè vestrum aliqua horâ, & sic abscondi cõtigerit; vt minimè avocet aut perturbet, vel sensus egens* (vt in agro) *vel cura pungens vel culpa mer-*

mordens: vbi duplicem tangit ægritudinem corporis ſcilicet & animi.

Addit & quintum ſcopulum, nempe irruentium cogitationum ac phantaſmatum molem. Subiungit ergo, *vel ea certè quæ difficiliùs amoventur, irruentium imaginum corporearum phantaſmata, poterit quidem hic cùm redierit ad nos, gloriari & dicere; introduxit me rex in cubiculum ſuum.* Cavendum ergò nobis eſt, ne accedẽtes ad illud ſacrarium, occaſionem demus hiſce muſcarum velitationibus ac ſtrepitibus; *cùm enim*, ait S. Gregorius, *ſe mens ad orationis ſtudium erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter otioſa premebatur.* Denique Beatus Thomas Aquinas à perturbationibus tanquam ſcopulis perniciosis nobis recedendum eſſe denuntiat. *Duo ſunt*, ait, *quæ impediunt actum contemplationis. Vehementia paſſionum per quam abſtrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad ſenſibilia; & tumultus exteriores occupationum. hæc enim duo animam ipſam occupant & à rerum divinarum commentatione præpediunt.*

Lib. 10. moral. c. 17.

2.2. quæ. 18. art. 2.

SECTIO SECVNDA.

De ſex alis quibus anima in montis verticem ſeu contemplationem tranſmittitur.

1. ASceñſus hic arduus eſt, & nominatim qui maximè vicinus eſt, ſu- *Ale. 6.*

supremo vertici. Est enim vita contemplatiua vertex perfectionis, quę in hac vita haberi potest, & vt eò transuoletur, alis benè extensis ac expeditis opus est. Prima ergo ratio, seu præsidium eò perveniendi, est exercitatio circa studium virtutis, quod duplici capite constat: destructione nempe vitiorum, & virtutum incremento. De quibus Cassianus in hęc verba. *Quisquis ad Theoreticen voluerit pervenire, necesse est vt omni studio atque virtute, actualem primùm scientiam consequatur. Hæc autem actualis perfectio duplici ratione subsistit: nam primus eius modus est, vt omnium natura vitiorum, & curationis ratio cognoscatur. Secundus vt ita discernatur ordo virtutum, earumque perfectione mens nostra formetur, vt illis iam non velut coacta & quasi violento imperio subiecta famuletur; sed tamquam naturali bono delectetur, atque pascatur; & arduam illam atque angustam viam cum oblectatione conscendat.* Magnus ille gradus & volatus est; & qui eò pervenit, vt cum facilitate, vitia & delectationes detestetur; virtutes verò, quasi naturali propensione exerceat, quasi alas geminas nactus est, quibus celerrimè ad cacumen montis, seu cõtemplationem perveniat.

Ala 1. Scientia. Coll. 14. cap. 2. & 3. Illa in duobus consistit.

Ala. 2. cordis munditia

Lib. 7. stroma.

Matth. c. 2. Altera ala est munditia cordis, quam Clemens Alexandrinus, imò Christus Dominus prærequirit: *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Vnde Beatus Bernar-

5. lib 5. de consideram in fine.

nardus. *Prima, inquit, & maxima contemplatio est admiratio majestatis: hæc requirit cor purgatũ, vt à vitijs liberum atque exoneratum peccatis, facilè se ad superna levet: interdum quoque vel per aliquas morulas, stupore & ecstasi suspensum teneat admirantem.*

3. Ala tertia sunt exempla sanctorum, quæ vim maximam habent, ad impellendum; ac studiosis contemplationis miros aculeos subijciunt. Vnde Beatus Gregorius ad eorum nos imitationem excitans, *non solùm*, inquit, *alta sanctæ ecclesiæ membra, quæ prominent, habent contemplationis gratiam; sed plerumque hoc donum etiã illa membra percipiunt, quæ et si per desiderium ad summa emicant, tamen adhuc per officium in imis iacent.* Beatus Antonius, adhuc in imis iacebat; at in desiderijs ad summa emicabat, vt res ipsa postmodum docuit. Primùm enim vt ad Anachoreticæ, ac contemplativæ vitæ perfectionem brevi perveníret, adhuc adolescens omnium eremitarum, quos laude aliquã virtutis prestare audierat, cellas obibat, & instar apiculæ prudentissimæ, variarum virtutum roscida mella colligebat, auctore Athanasio. Quare merito Beatus Gregorius concludit. *Sic in contemplationem nostram*, ait, *multa cogitationibus nostris circumeũdo proficimus: sicut exempla bonorũ sæpè quærimus, vt in omnibus proficiamus.* Et prælertim, vt ab ijs discamus rationem cum Deo conversandi; fervorem

Ala 3. exempla sanctorũ. *Hom. 18.*

Apud Surium tomo prim. Ianu. 17.

eorum considerantes, & ab omnibus quæ à Deo aliena sunt, & in minimo alas illas, velut glutino compingere possent, abhorrentium imitantes.

Ala 4. Secessus à negotijs. 4. Ala quarta. secessus ac fuga rerum & negotiorum, contemptus curæ nimiæ circa corpus, & vitę necessaria. Sicut enim huiusmodi impedimenta vehementer onerant, & agglutinant alas, ita etiam excussio eorum, liberum animum relinquit, vt expeditè ad montem contemplationis evolare liceat. Hoc argumentum copiosè tractat Sanctus Basilius. *In constitut. monast. 2.* *Quod si mavis* (inquit) *Magdalenam imitari, quæ spreto corporis obsequio, altiùs ad rerum divinarum contemplationem ascendit, legitimè & vt par est verè negotium tractato, corporis curam abijcito, agricolationem abijcito, apparatus etiam epularum & obsoniorum aspernator, & ad Domini pedes assideto, & quæ ille dicat, auscultato, vt arcanorum divinitatis particeps efficiare.* Hæc Basilius.

Ala. 5. Oratio in cant. serm. 57. 5. Ala quinta. Magnum ad contemplationis consecutionem pręsidium putat Sanctus Bernardus, si eidem orationis studium adhibeamus, quo à Deo tam præclarum munus & obtineamus, & paratiores ad illam accedamus. *In Beniamin minores parop 1 cap. 79.* Idem statuit Richardus à S. Victore, *sine triplici*, ait, *studio ad huius cognitionis celsitudinem non perducimur. Per studium operis, per studium meditationis, per studium orationis. Multa*

enim

enim experimur operando, multa invenimus investigando, multa extorquemus orando. Innumera siquidem, quæ nec per experientiam operis, nec per investigationem rationis, invenire valemus, per importunitatem orationis edoceri meremur.

6. Ala sexta. Vt se totum rebus divinis tradat, & commodet, atque in Deum spem omnem suam, ac desideria transferat. Quod eleganter ac diserte explicat Sanctus Prosper libro quem scripsit de vita contemplativa: *vitæ*, inquit, *contemplativæ sectator, ad conditorem suum illuminandus accedat; ipsi contemplando atque insatiabiliter perfruendo, vigilanter inserviat; ipsum iugiter concupiscat; pro amore eius omnia, quibus inde potest averti, refugiat; omnes cogitationes suas ac totam spem, ex illius delectatione suspendat. Litterarum divinarum sacris meditationibus insistat. Et cùm hæc & his similia cõtemplativæ vitæ desiderio affectus impleverit, non se hic iam ex parte omni perfectum, sed perficiendum in illa vita quæ futura est immobiliter credat: atque ad eãdem se, vbi Dei substantiam revelata facie videre possit, extendat.*

Ala 6. Intimum studium rerũ spiritualium. cap. 8.

SECTIO TERTIA.

INDVSTRIAE QVATVOR.

De quatuor gradibus septimæ rupis superandis, & accessu ad montis verticem.

Gradus 4. vltimæ scalæ. Lectio spiritualis. 1. EXigua nobis scala superest, ex qua montis verticem non modò prospicimus, sed propemodum videmus ac tenemus. Primus scalæ huius gradus seu industria est, studiosa rerum diuinarum lectio. Hęc enim excitat pietatem, fovet conceptum feruorem, illustrat mentem, meditationi segetē copiosam parat, & mensam spiritualem sapidis epulis instruit. Sancti Prosperi hoc consilium est, qui cùm dixisset contemplatiuæ vitæ cultorem oportere litterarum diuinarum sacris meditationibus insistere, addit; *In his se diuinitus illuminatus oblectet, ibi se totum velut in speculo refulgente, consideret; quod in se prauum deprehenderit, corrigat; quod rectum est, teneat; quod deforme, componat; quod pulchrum excolat; quod sanum, seruet; quod infirmum, assidua lectione corroboret.*

Cur lectio meditationi præmittatur. 2. Contemplationi verò lectio triplici de causa præmittitur: & inprimis quidem vt qua de re, cum diuina majestate tractare velis, ante percipias; ne Deum tentare videare, dum imparatus accedis. Deinde vt mentem

tem alioquin ex se depressam nonnihil subleves, & animum tepidiorem incendas. Denique spiritualem appetitum excites, quo maiori affectu, divinas res apprehendas, ijs perfruare, & in ijs lubenter immorere: si enim nobiles vt edendi desiderium excitent, summa contentione ac vehementi exercitio, horis aliquot ante mensam occupantur, venationi aut sphæristerio operam dantes; quid ei fieri convenit, qui ad mensam divini numinis accessurus est? Quid si nauseabundus accumbat? Quid si etiam cibos aversetur? Lectio ante contemplationem, est ientaculum ante mensam. Cùm enim digestio cœnæ pręteritę facta est, & verendum ne si prādij tempus protrahatur, stomachus latret, & seipsum conficiat: operæ pretium ducitur, vt ei aliquid porrigatur, quod eum ad refectiónem pleniorem disponat; & minimè se defectu alimenti consumat. Ita ante contemplationis amplissimam refectionem, pio desiderio aliquid largiendum; tum vt ipsum foveatur, tum vt pius animus ad colloquium ipsum divinissimum avidior accedat, & capacior cibum spiritualem suscipiat. Prodest verò cùm post has epulas sancta illa divinarum rerum lectio ac delibatio, tum etiam omni tempore. Revocat enim in memoriam, quæ contemplationis hora hauseris summa tua consolatione: accenderis etiam

Simile accōmodum.

Lectionis spiritualis fructus.

ad novum epulum, & insatiabilem animum pascis.

Gradus secundus Cogitatio sancta. 3. Alter gradus nostræ scalæ seu industria secunda, est cogitatio, quæ nihil aliud est, quam masticatio rei in lectione acceptę, & in memoria reconditæ, Magna res est, & minùs difficilis quàm meditatio, vel contēplatio, Nam discursu magno caret, & indagine veritatis, & nodorum discussione ac dissolutione: etenim apprehendit res pro duntaxat affectu, & illas reservat, prælo meditationis frangendas, Admittit etiam interruptionem; satis enim est, si filum abruptū aut remissum, vbi licuerit, resumatur, Illud magni est momenti, si ita assueveris divina cogitare, vt ea per modum naturę recurrant memoriæ; vt animo ea ascita revolvas; sicut huius sęculi homines mente, vel negotia tractant vel ea quæ placent ad memoriam revocant, & in ijs cum voluptate acquiescūt. Assuetudo multùm valet in vtramque partē. Non lædunt caput mercatores occupati a sūmo manè ad vesperā numerandis nummis, aut negotiando, atque adeò ne pluribus quidem diebus continuis; idque & quia grata res est, quam tractant, & quia ita assueverunt. Nobis grave est aliquanto tempore, de divinis cogitare; quod accidit aut quod ea nobis in delicijs non sint, aut quia nænijs quamplurimis internas aures præbere con-

Eius fructus. 1.

2. *Consuetudinis vtilitas.*

Simile accommodum.

suevi

fuevimus. ad contemplationis officium totus homo debet concurrere: sensus inprimis externi aut inanibus rerum occurrentium imaginibus excludendis; aut admittendis ijs, quæ ad vnionem cum Deo aliquid conferre possunt; imagines verò has sensuum imaginativâ, quasi sinu suo complecti, ac reservare, vt loco & tempore dapes menti avidæ subministret. Ex hac enim maximè sufficitur cogitationum copia ac seges. Denique intellectus vastissimo & quasi immenso alueo, quidquid per sensus penetravit, cõcludere, & in sese notiones altiores ac subtiliores efformare, vt cum propheta dicere possit: *delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*, & cũ S. Augustino. *Tu Domine fecisti ea, qui pulcher es, pulcra sunt enim: qui bonus es; bona sunt enim: qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt; sicut tu, conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sũt, nec bona sunt, nec sunt. Scimus hæc; gratia tibi. Et scientia nostra scientiæ tuæ comparata ignorantia est.*

3. Officium sensuum externorum.

4. Imaginativa.

5. Intellectus.

Psal. 91. 5.

Lib. 11. conf. c. 4.

4. Ex his ergo fontibus oriuntur sanctæ cogitationes cælestiaque desideria. Sed hæc omnia ab interno præside, Spiritu nempe sancto, ac præferuido, sine quo inania sunt omnia, promanare ac dirigi debent. Sicut enim exercitus, dissipatis militibus singulis, confusionem parit; sed à duce in vnum collectus,

Simile accommodum.

robur incredibile continet; sic cogitationes solutę, si sibi ipsis relinquantur, hominem mutant in simiam, & sine spiritu dirigente ac moderante, spiritualis esse desinit. *Et cogitationes ascendunt in corda nostra.* Vnde? ex luto ac fæce huius mundi elevatę, & à calore libidinis. Quæ vero à spiritu interno asciscũtur, è cælo descendunt, crescunt ac multiplicantur crescente sole ad diem vsque perfectum.

Luc. 24. 38.

3. Gradus. 5. Hæ cogitationes, fomenta sunt meditationum, & contemplationi summo sunt adiumento. Tertius scalę supremę gradus seu industria, meditatio est, quæ longis excedit cogitationem intervallis. Est enim meditatio contemplationis parens, eamque ordinariè generat. Et in hunc finem instituitur, vt conceptus ignis accendatur, & contemplationis incendium ac delicias pariat. Quare magni refert, hoc instrumento vti posse, quo etiam rudes evadunt, admodum sapientes, ac spirituales. Parvi non fiat malleus; quia & lapides ac marmora eo poliuntur. Non abijciatur lima; nam ea & ferrum levigatur, artificiosè plurima parantur. Non rideamus torcularis formam absonam: nam inde vinum exprimitur atque elicitur delicatum. Malleus est meditatio, quæ rudes animos expolit: quo & ferreæ mentes levigantur: & sub hoc prælo positi, in nostri cognitionem

Meditationis excellentia.

Similia.

pri-

primùm venimus, deinde Dei notitiã ſcientiáque adipiſcimur. Teſte Baſilio in dictũ illud Moyſis: *Attẽde tibi ipſi. Exacta*, ait, *& diligens tuipſius conſideratio viam tibi præſtruet ad cognitionẽ Dei. In teipſo enim tamquam mundo quodam ſpeculo, diſtinctè ornato, licet exiguo contemplari licebit eximiam conditoris tui & incomparabilem ſapientiam; & ex anima incorporea Deum eſſe incorporeum, nullo circumſcriptum loco, inviſibilem*. Multa alia ſubijcit Sanctus Doctor quibus oſtendit, qua ratione muſtum ex hoc torculari exprimere oporteat. *Hom. 3.*

6. Meditationis verò inſtituendæ, formæ ijs qui ſanctiſſimo huic operi vacant, tres deligi poterunt ex multis; & maximè noſtro inſtituto ſerviunt. Prima materiam ſubiectam deligit ex ſacris litteris, ſive hiſtoriȩ eæ ſint, ſive non. Vt ſi pſalterium ruminandum aſſumas, & ex ſingulis verbis litterales primùm, deinde myſticos ſenſus elicias. Huc referri poſſunt proverbia Salomonis, ſapientia eiuſdem, alijque libri ad ſapientiam pertinentes. Pari ratione, ſi quis hiſtoriam ſacram in meditationem advocet, conſideret primò mẽtem auctoris, ſpiritus ſancti ſcopum, rem verbis illis ſubiectam; ampliſſimos hic campos animo ſuo aperiet. Poteſt hic modus nõ tantùm incipientibus ſervire, ſed etiam maximè perfectis. Primùm quidem tironibus quia multùm levat laborem materiæ inveni-

Formæ triplices.

Ex ſacra ſcriptura

Huius vtilitates.

endæ, quam copiosissimam suppeditant sacri codices. Deinde, quia summa varietas occurrit meditanti. Si enim in vno verbo, aut sẽtentia fructum non repereris, invenies in secũdo, tertio, aut quarto. Adde nihil ita hominẽ spiritualẽ reddere posse, sicut ea quæ à Spiritu sancto profecta sunt. Verùm hoc momenti habet plurimum, nosque afficere sũmopere deberet, scripturam nempe illam certissimam & infallibilis esse veritatis, dictatã a spiritu Dei, nec substerni posse considerationi nostræ solidius fundamentum, adeò vt commentãti semper id obversetur, *Deus loquitur, hæc porrò certissima sunt; hic decipi non possum; res vt scribitur, fiet, ita eveniet.* Videtur etiã Dominus hisce litteris adiunxisse nescio quem sensum, ac motionem, vt quicumque eas legerit vim quandam penetrantem excipiat etiam imprudens: & se ante incendi sẽtiat, quàm se moveri cognoscat: solent subinde quidam laborare commentationis tempore somnolentiâ, alij instabilitate animi & cogitationum inconstantiâ ac volubilitate. Textus sacræ paginæ, quem oculis tuis subijcere potes, dissipatum animum cogit, & visus mentem alligat, vt aliud non volvat, nisi quod oculis obiectum est. Thesauri quoque ingentes in sacris paginis reconditi sunt. Nulli conceptus aliunde ditiores, nulla doctrina moralis solidior, nulla sapidior, nulla effica-

cior permovendis animis, quàm quæ à Spiritu sancto concepta & dictata est, atque adeo, vt etiã præfecti hic hærere, & in ramis huius amplissimæ arboris, tanquam bonæ aves cæli nidos suos condere valeant. Itaque totum novum testamentum, vita Christi Domini, Apostolorum acta, atque epistolæ, huic muneri copiosissima argumẽta suppeditant. Nec excludo veteres historias à Moyse & alijs cõscriptas: nam ab eodem spiritu profectæ eosdem effectus, fructusque progignunt.

7. Alius meditandi modus per discursus agitur: quo se quis nullis verbis alligat; sed delectâ ac paratâ subiectâ materiâ, & in plura membra (si ita videtur) distributâ, ad commẽtandum accedit præmissaque oratione, ac conciliato Deo, quem sibi præsentem constituet, excurret per diversas circumstantias personarum, rerum, temporum, locorum. adhibito etiam sensuum velut quodã vsu, ac si res ipsas videret, tangeret, gustaret, odoraretur; hunc audiret disserentem; ad sese modò; modò ad Deum, orationem convertens. Quòd si quæ difficultas in attentione comparanda occurrat, magno animo ac generoso eam excutiet. Si in re, quam habet præ manibus, nodus oriatur, adhibito calculo, ratione ac iudicio, illum expediet. Si in resolutione capienda, lumine cælesti opus sit, impetrare nitetur. Si de se victoriam quærat, ac

2. Meditandi modus

rebel-

rebellem vel carnem, vel mentem subijcere opus sit: cùm rationibus, tum fervore animi feram illam belluam expugnare, ac eius memoria penitus delere conabitur. Hoc enim officium est meditationis, quę cum labore veritatem inquirit & investigat, obortasque difficultates perrumpit.

3. Meditandi modus. 8. Tertia formula adhuc propior est contemplationi, & exercitatorum magis propria ac familiaris; qui ob vsum ac facilitatẽ, & maximè ob abundantiam gratiæ ac luminum, illico efferuntur, animoque sublevantur, magisque divina patiuntur, quam agunt.

Eius facilitas vnde oriatur. Facilitas autẽ illa ex diversis causis oriri potest; atque inprimis ex frequenti cum Deo consortio, cui familiarius est colloqui, quàm cum hominibus. Deinde ex singulari erga divinam maiestatem affectu innato, ac longa exercitatione com parato. Huc facit divinam bonitatem solere, cui placuerit dona sua impertiri: nam & *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* (*Rom. 9.*) Nec ad hoc magna merita semper prærequirit; sed quia Dominus est, ita illi placet iuxta rationes suas æternas. Subinde tamen & via quidem ordinaria, dispositiones ac cooperationem nostram considerat, & votis nostris ac conatibus respondet: pro studij nostri, si non præcisè mensura (nã plùs semper tribuit, quam mereamur) certè pro fervore ac conatu; quo incitationibus

cius

eius respondemus. Et quamvis dona naturalia, intra limites supernaturalium non comprehendantur; nihilominus singulare præsidium est habere aptam, ac rebus divinis concipiendis ac pertractandis idoneam naturam, eamque sedatam, complexionem sanguineam, ingenium capax, & illustre iudiciũ, sanitatem opportunam, quę labores sustineat, & continuationem ferat: genium item flexibilẽ ad divinos amores, & cælestem ignẽ concipiendum; animum teneriorem quibusdam motibus excitandis; quales sunt qui ad compassionem, amorem, admirationem, lacrymarum imbres provocant, & ad nutum divina bonitas talẽ animã inflectere, subigere, erigere, deprimere, prout voluerit possit.

Quam prosint dona naturalia.

9. Hæc naturalia sunt, sed gratię subserviũt, & sine quibus cælestia dona non rarò irrita cadunt; quid enim egeris, cum stipite & incõdito cerebro, cum stupido ac rustico ingenio? cum moroso, acerbo, duro, pervicaci homine: imfirmo item ac languido corpore, cui & vires & spiritus desunt?

10. Non sequitur tamen eos, qui præclaris illis naturæ dotibus prędití sunt, meritis, ampliorique gratia præstare. Imò sæpè expositi sunt illusionibus. Non enim omnes lacrymæ à spiritu sancto proveniunt; non omnes fervores; non omnes alti conceptus è cælis manant: memores simus Angelum

gelum tenebrarum se transfigurare solitum in Angelum lucis, & à nobis multa exoriri, quæ cælitus provenire falsò arbitramur. Nihilominus vbi iudicium solidum, ingenium capax & quietum, complexio idonea; illic longè faciliùs dona illa cælestia locum inveniunt, quã vbi ex deteriore complexione, impedimẽta virtutum quamplurima adversantur. Ex his tribus meditandi modis, quisque illum sibi desumet, quem maximè opportunum iudicabit, nisi malit pro varietate occasionũ, modò hunc, modò illum vsurpare.

4. Gradus. 11. Quartus & vltimus supremæ scalæ gradus, qui nos in vertice montis constituit, est cõtemplatio; de qua ita loquitur Sanctus Augustinus. *anima nostra cum vult intelligere, vel divina, vel Deum, vel se ipsam, suasque considerare virtutes, abstrahit se ab omnibus corporis sensibus, quibus non adiuvatur, nisi ad corporeas formas, coloresque sentiendos, & spiritu ac ratione se conspicit; meditatione ac contemplatione ad Deum ascendit: Deus verò revelatione, atque divina inspiratione ad eam descendit: meditatio siquidem est occulta veritatis studiosa investigatio. Contemplatio perspicua veritatis iucunda admiratio. Illam namq; divina illuminat revelatio, vt veritatem cognoscat: istam verò divina inspiratio inflammat; vt eam diligat: corpus autem sensu & imaginatione ad spiritum ascendit* Hęc Augustinus.

Lib. de spiritu. & anima cap. 32.

Quibus verbis S. Doctor declarat, sensus externos

ternos, etiam subservire contemplationi, si interea vel cessent à functionibus suis; vel vsum corporalium specierum tantisper excludant, & cum imaginatione ascendant ad spiritum; opus tamen esse, vt Deus inspiratione & revelatione descendat ad animam in Dei occursum assurgentem.

12. Richardus à Sancto Victore definit quid sit contemplatio in hæc verba. *Est*, inquit, *perspicax & liber animi contuitus in res prospiciendas, vsquequaque diffusus. Meditatio verò est studiosa mentis intentio, circa aliquid investigandum diligenter insistens. Cogitatio autem est improvidus animi respectus ad evagationem pronus.* Differentiam verò inter tres illas actiones ita exprimit. *Multùm à se invicem hæc tria in modo differunt, quamvis quandoque in materia conveniant. Cogitatio per devia quæque, lento pede, sine respectu perventionis, passim huc illucque vagatur: meditatio per ardua sæpè & aspera, ad directionis finē, cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu, quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit, & (vt multùm) currit. Contemplatio autem omnia circumvolat, & cum voluerit, se in summis librat. Cogitatio est sine labore, cum fructu. In cogitatione evagatio; in meditatione investigatio; in contemplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio; ex ratione meditatio: ex intelligentia contemplatio. Intelligentia obtinet supremum locum:*

Contemplatio quid.

Lib. 1. de contēpla. p. 1. c. 4.

imaginatio infimum: ratio medium.

Natura contemplationis explicatur. 13. Ex quibus pæne tota cotemplationis natura ac principia deduci possunt. Est enim meditatio contemplationis origo ac parens. Sicut ex igniario, silicis ac ferri seu chalybis percussione mutua, scintilla elicitur, quæ si in fomitem idoneum incidat, illum corripit ac pervadit, & ex eo lumen, ignis, flãma cõcipitur; quę vasta ædificia, vrbesque (si res ita ferat) populetur: sic & meditatio igniarij officium egregie sustinet; nam & cor nostrum ferreum est, & Christus lapis angularis lapis de monte excisus. Meditatio hæc duo

Psal. 38. 4. inter se, dum collidit, excitat ignem. *Et in meditatione mea,* ait David, *exardescet ignis.* Hinc flamma, hinc incendium totius hominis, & facultatum eius. Sicque meditatio, quæ laborem, & quasi concussionem continebat, deinceps in contemplationem assurgit. Labor aufugit, delectatio succedit: lumẽ accrescit, & sol ad perfectum diem adducit.

14. Idem contigit Moysi, dum esset in deserto, in quo aquæ desiderabantur. Solicitus enim hoc remedium à Deo habuit, vt virga

Psal. 77. 20 rupem percuteret. *Percussit petram & fluxerunt aquæ, & torrẽtes inundaverunt.* Ita fit in anima nostra, dum arida manet. Sicut terra, sine aqua, aquã inquã gratiæ cęlestis. Virga Moysis, Christi Iesu crucem designat. Rupes est animus noster, duræ cervicis & cordis incir-

cum-

cumcisi. Percute virga petram : meditare dolores Servatoris. Haud dubiè elicies aquã; & torrentes lacrymarum ac consolationũ exorientur. Et in amplissimum contemplationis campum, habens irriguum superius in anima ; & inferius in corpore penetrabis. Sicque *educes mel de petra, oleumque de saxo durissimo*. Quid dulcius melle ? Quid salubrius oleo ? Quod lucet, pascit, & vngit ? Hi enim fructus sunt contemplationis. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo ! Et quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te !* Hoc mel exprimitur in meditatione, gustatur in contemplatione. In qua mens sitibunda & lumine ampliori, & delicijs lautioribus, & vnctione copiosore, quàm in meditatione cumulatur.

Deut. 32. 13. *Psal. 118. 103.* *Psal. 30. 20.*

15. Gedeonis vellus cum tota nocte iacuisset, manè inventũ est rore plenum, ac madidum. Et anima nostra dum tribulationis nocte, magna humilitate, ac patientia prostrata, Dei opem implorat , ei benignissimus Dominus rorem cælitus demittit, & eandem aridam imbuit pietatis ac religionis spiritu, qui contemplationis palatium splendidissimum aperit, & quæ post tenebras, lucem speraverat, in admirabile lumen Dei ingreditur, pascitur, vngitur, & voluptatis , nõ dicam rore, sed torrente perfunditur.

16. Petrus cùm tota nocte laborasset, frustra

conatus pisces capere; audito tamen Christi Servatoris monito post hanc querelam. *Per totam, noctem laborantes nihil cœpimus. In verbo*
Luc. 5. 5. (inquit) *tuo laxabo rete.* Tota nocte meditantes, absente gratia Servatoris, nihil capimus, quamvis omnes animi nervos contēdamus. Tandem aliquando venit verbum, & verbū bonum & suave; cuius virtute infinitam piscium multitudinem capimus. In fluminis nempe impetu, qui lætificat civitatem Dei, multi, rarique pisces natant, desideria nimirum animas ad Creatoris sui gremiu m reducendi: sed hæc maxime contemplationis luce capiuntur.

27. Denique vti sol, dum nubilo, eius radij involvuntur, vi sua nubem discutit ac sternit; ea verò prostrata & terræ incumbēte, in aëre dominatur, muncumque recreat. Ita & iustitiæ sol, initio meditationis, dum nubem inter se, mentemque nostram invenit, sensim dissipat ac prosternit: tum demū mens radijs ac serenitate fruitur optatis, purumque aërem hauriens planè reficitur, & quasi hoste prostrato lætitia gestiens, in novam quodammodo vitam ingreditur. Hæc vita contemplationi propria est; quæ nubibus dissipatis, solis lumine ac calore perfruitur.

TEX-

TEXTVS DECIMVSOCTAVVS.

Erat autem species gloriæ Domini.

1. Sæpiùs Moyses in montem ascendit, idque vel ante legis promulgationē, vel etiam postea. Vt patet Exodi 19. & sequentibus. Ante legis promulgationem, quę habetur exodi 20. omnis mons erat terribilis. *Totus enim mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne & ascēderet fumus ex eo, quasi de fornace. Et sonitus buccinæ, paulatim accrescebat in maiùs & prolixiùs tendebatur. Moyses loquebatur & Dominus respondebat ei. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocavit Moysen in cacumen eius.* Exod. 19. 18. Verùm hęc contigerunt ante legis promulgationem. Postmodum verò cùm Dominus hanc monumentis perpetuis insculptam vellet, neve Iudæi, quod tanta solemnitate, tantisque prodigijs denuntiatum erat, æterna oblivione contererent; voluit Dominus hoc decalogum lapidibus, digito suo insculpere. Et vt illud Moysi traderet, cum plurimis alijs mandatis; in montem rursum eundem asciuit ad se: vti continetur exodi cap. 24.

2. Species verò glorię Domini non erat adeo terribilis, sicut in ipsa promulgatione apparuit,

paruit. Res enim hic erat cum dilectissimo famulo suo, non cum populo duræ ceruicis & incircũcisi cordis. Vtrum verò Dominus Deus in persona propria loqueretur Moysi, an per Angelum, parum ad institutum nostrum spectat; nobis enim abundè satis est, Dominum Deum pręsentem fuisse, secundũ essentiam suam, præsentiam & potentiam: per Angelos Moysi loquutum vt plurimùm. *Species* vero *gloriæ Dei* erat splendor quidam admirabilis, quasi ex igne promanans: quo mons Sinai in flammam redactus videbatur: illa verò potissimùm elucebat in vertice mõtis, atque adeo in altum emicabat; vt planè esset in oculis ac conspectu filiorum Israel, quibus Dominus testatum volebat, se præsentem cum Moyse colloqui, & mandata, quæ ad eos Moyses referebat, à Deo profecta & denuntiata fuisse. Atque hæc de sensu literali.

SECTIO PRIMA.

Contemplationem, quæ quatuor potissimùm actibus perficitur, esse speciem, ac figuram gloriæ Dei.

Primus actus, quæ visio est, explicatur.

Laus contemplationis. HActenus in nube, in caligine, in rupibus versati sumus. Pręter horrorē, difficultates, præcipitia ac scopulos vix quid-

quidquam prospeximus. Tandem aliquando, Dei beneficio, montem conscendimus, imò & verticem attigimus. Hinc procul, hinc tenebræ, nox, caligo, rupes, præcipitia, anfractus, ac scopuli. Omnia iam clara, omnia perspicua, explicata ac dilucida. *Hic amantissimus Domini habitabit confidenter: in eo quasi thalamo, tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Deuter. 33.12.
Hic favent omnia quiescere volenti; in pace in idipsum dormienti. In hoc vertice, *vidit Iacob scalam, & Angelos ascendentes & descendentes per eam. Verè Dominus est in loco isto:* Gen. 28. 16.
& sanè innititur Deus summæ scalæ, & videt infernè dormientem Iacob, & mittit & revocat Angelos à se descendẽtes, & ad se redeuntes: Eliphaz Themanites *stetit quidam, cuius* inquit *non agnoscebam vultum; imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiui.* Job 4.16
Et Iob ipse *suspendium* ait *elegit anima mea*; memorque felicium dierum, aiebat; *quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos secundùm dies quando Deus erat secretò mecum in tabernaculo meo!* Iob 7. 15 Iob 29.2. 4.

Hunc locum optabat Rex David dicens: *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum & super excelsa statuẽs me.* Et *quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Deniq; *memor fui Dei & delectatus sum, & defecit spiritus meus. Et meditatus sum nocte, cum corde meo & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Psal. 17. 34. Psal. 54. 7. Psal. 76. 4. & 7.

2. Quia verò S. August. & alij Patres contem-

plationem definiunt esse perspicuæ veritatis iucūdam admirationem: expediet naturam huius tam admirandæ virtutis, paulò latiùs explicare. Eius ergo natura quatuor actibus continetur: quorum duos intellectus perficit, reliqui duo à voluntate proficiscuntur. Primus actus est visio delectabilis, & labore carens. Qua in re multa occurrunt consideranda. Atque inprimis ipsa facultas cognoscendi ac videndi, in qua visio fieri debet: nō enim putandum est ipsam visionem esse actū Dei, cum Deus non possit per omnem suam potentiam, causam formalem supplere operationis, seu actus vitalis: implicat enim cōtradictionem, actum esse vitalem, & à potētia non procedere; summæ imperfectionis esset, Deum supplere per se rationem causæ formalis. Non enim efficere potest, vt paries formaliter, Dei forma albus sit; ita nec vt visio Dei, sit visio hominis. Intellectus verò humanus; gratia spoliatus, non est capax visionis huius seu contemplationis rerum diuinarum; eo modo quo Christiani contemplationem accipiunt. Philosophi quidam multa de naturis rerum, multa de diuinitate disputarunt, non sine grauissimis erroribus; quia lumen veritatis illis nondum illuxerat. Preclarè tamen multa: quantùm eis natura suppeditabat. Opus ergo est fide, quæ ab errore eos vindicet & semitam veritatis edoceat.

Contemplatio quatuor actibus perficitur

Visio & eius partes.

Hac

Hæc tamen ad contemplationis celsitudinē non sufficit; sapientiæ lux asciscenda, quæ cū flamma caritatis fulgeat; alioquin non erit perspicuę veritatis visio delectabilis. nam fidei lumen, etsi certum sit, obscurum tamen; & magna ex parte ad assensum, voluntatis inclinatione perficitur. Quamvis autem sapientiæ lux ordinariè opus hoc excellentissimum dirigat; tamen propter humanę imbecillitatis infirmitatem, vires novę cælitus adveniant necesse est, nempe nova gratia actualis, quę fulciat labantes vires, & erigat aggravantis corporis corruptionem ac depressionem. Et hoc auxilium potissimum est, quod perspicuitatem adfert iuxta ac delectationem, seu iucundam admirationem; quæ duo B. Augustinus in definitione contemplationis requirebat. Beatus certè Gregorius disertè veritatem hanc ita exprimit: *contemplativa vita, amabilis valde dulcedo est: quæ super semetipsam, animam recipit, rapi; cælestia aperit: terrena autem debere esse contemptui ostendit; spiritualia mentis oculis patefacit; corporalia abscondit.* Quibus verbis Sanctus Doctor, non solùm veritatem illam, quam asserimus, manifestavit; sed & magna ex parte affectus fructusque vitę contemplativæ exposuit.

Hom. 14. in Ezechielem.

3. Illud etiam manifestum evadit; sine labore, contemplationis delicias possideri; non quod sine labore, ad eam perve-

Visionem hanc contemplationis care re labore.

niatur (diximus enim laborem meditationis, aditum ad contemplationis palatium parare; mortificationem quoque impedimenta removere) nam si iugum Domini suave & onus eius leve esse asseveremus: etsi iugum, pondus laboremque habeat immensum; tamen suave, leveque dicitur; eò quod illud, non tam ab homine; quàm à Deo portetur. Longè magis labore carere dicendus est, qui contemplationis alis sublevatus, abũdantique gratia fultus; non tam agere, quàm pati divina censeatur; pręsertim cùm eo tẽpore, incredibili voluptate perfusus, doloris ac laborum omnium, imò vel corporis proprij, & suijpsius quidem reminiscendorum nullam occasionem habere videatur.

4. Quod verò de B. Ioanne Baptista Christus Dominus asseruit, ipsum nempe esse *lucernam ardentem & lucentem*; id sanè de homine in contemplationis vertice constituto statui posse videtur. sit corpus lucerna; sit anima candelę basis ac receptaculum; officium contemplationis ac operatio candela est ardens & lucens in homine illo; & gratiæ adiunctæ huic sanctę operationi lux; hominem illum splendore singulari beat, eundem calefacit, & per eum, alijs, qui foris sunt radios communicat, spargit ac diffundit.

Ioan. 5. 35.

Contemplationẽ esse lucernam.

5. Verùm non frustra lucet, non frustra calefacit, aut frustra lucem diffundit. Movet enim

nim

nim rationibus & ijs quidem, quibus ita cõuincaris, vt lubens manus victas porrigas. *Sagittæ* enim *potentis acutæ*, in corda hominũ defixę, potenter vulnerant. *Populi sub te cadēt* Domine: quis enim tibi resistere valeat? Fiunt deinde momento vno homines docti, & plùs proficiunt in hac schola humiles discipuli, quàm magni Theologi in cathedris, plurimis annis declamantes. Illud quoque efficit lumen hoc, vt animum dispersum statim colligat, & revocet, ab omnibus rerum corporearum speciebus; ab affectu omnium creaturarum, & quidquid amoris in eis collocatum erat, in vnius Dei sinum transfert, & recondit

Psal. 44. 6.

6. Qui verò hac luce irradiantur, simul incenduntur amore veritatis, & vnius Dei parentis amantissimi; *nec* vllus, *est, qui se abscondat à calore eius.* Quemadmodum enim æstivo tempore, sol, radijs, ac calore suo terræ viscera penetrat ac humores in arborum radice calefactos attrahit: inde traducit in truncum, ramos & frondes: atque eodem succo flores progignit, fructusque quos sensim alit, auget, & conservat, donec ad maturitatem promoveat. Ita & lux ista à iustitiæ sole promanans, non tantùm animum cõtemplantis illustrat, sed accendit, & in eum gratiæ ac virtutum succum adducit, quem per omnes facultates internas, & externas partitur; vnde virtutum

Psal. 18. 7.

Simile ac commodũ

flores

flores, viror, ac vigor constantis ac genero
animi, in verbis, in operibus, cùm internis
tum externis, in totius corporis composit
one, in zelo gloriæ Dei promovendæ elucet
Vsque adeò vt lampas ista non ampliùs con
cludatur, animi cancellis, & lucernæ corpo
Matth.5. risve repagulis: sed in tenebris lucet *corai*
16. *hominibus, & videant opera bona, & glorificen*
patrem, & verum solem, *qui in cælis est.* E
eodem principio sol è terræ visceribus nube
elevat, quibus deinde arbores & plantas ir
riget, alat, & nutriat. Sol noster cælestis i
officij quoque non prætermittit. *Rorate cæ*
Isa.45.8. *desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terr*
& germinet Salvatorem. Ex consideration
enim infirmitatis nostræ, & præteritorun
delictorum, sol æternus humores salutare
ac lacrymas è corde nostro elicit, quibu
cæteræ virtutes irrigentur, & crescant. Deun
agnoscamus rerum omnium authorem: &
proximos nostros imbre doctrinæ salutari
efficaci perfundamus.

Contemplationis materia subiecta. 7. Materia contemplationis varia est: at
que inprimis in vniversum dici potest, i
omne quod argumenti loco esse potest me
ditantibus, id ipsum esse posse ad contem
plationem elevatis. Cùm enim finis medi
tationis sit, in contemplationem assurgere
consequens est, rem eandem, diverso mo
do tractatam, vtrique muneri subservire

De rebus sublunaribus. Fines. 4.

Om-

Omnis verò meditatio quatuor sibi motus proponit, spem nempe aut metum; dolorem aut gaudium: hos enim fines omnis oratio, aut meditatio sibi proponit. Contemplatur mens pia non modò beatorum felicitatem, excitata spe, eò perveniendi; sed etiam dãnatorum supplicia; horrenda Dei iudicia; funestos exitus mortalium, quæ omnia hominem in extasim haud rarò abripiunt. Insignis quoque contemplatio instituitur de doloribus acerbissimis, quos humani generis causâ Servator noster perpessus est: & ad hos sentiendos hortantur nos scripturæ. *Hoc enim sentite in vobis*, ait Apostolus, *quod & in Christo Iesu.* Et Propheta Ierem: *estote quasi columba nidificans, in summo ore foraminis*, in vulneribus nimirum Servatoris. Idem Dominus commendat per Ieremiam: *ô vos omnes*, aít, *qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus* Idem Ieremias, *statue tibi speculam, pone tibi amaritudinis, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti.* Consideratio ergò pœnarum sęculi venturi, aut pœnitentiæ dolores atque amaritudines, in hac specula videri possunt, & à longè prospici, ne in eorum manus incidamus, qui nobis æternum exitum adferre possunt.

Phil. 2. 5. Ierem. 48. 28. Thre. 1. 12 Ierem. 31. 21.

8. Omnes res conditæ, in quibus earum conditorem agnoscimus, præclaram nobis assurgendi in Deum materiam exhibent, *A* Sap. 13. 5.

ma-

magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter potest Creator horum videri. Et Apostoli
Rom. 1. 20. *Invisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius & virtus & divinitas.* Assurgunt enim homines pij ex flosculi, vel pulvisculi consideratione, in divinę Maiestatis celsitudinem & tanto quidem ardore succenduntur, ac sublevantur, vt multi à sensibus planè abripiantur, totique Deo acquiescant.

De cælestibus & æternis. 9. Contemplationis materia non solùm intra rerum sublunarium considerationem concluditur: sed ad res, invisibiles assurgit de vitę ęternitate; de beatorum spirituum gloria; de felicitate in iustitiæ pręmium, bene beateque in hac peregrinatione viventibus reservata. Consideratio de Dei Optimi Maximi omnipotentia, sapientia, bonitate immēsitate: atque adeo de Trinitatis & vnitatis augustissimo mysterio etiam in hac vita degentibus, latissimos contemplationis cāpos aperit; & quasi lautissimas dapes, mensam delicijs plenam instituit & apparat. Ideo B.
Phil. 3. 20. Apostolus: *nostra*, ait, *conversatio in cælis est.* Et alibi: *propter quod non deficimus* (nempe in tri-
2. Cor. 4 18. bulationibus perferendis) *non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna.*

10. Illud postremò non pretermittendum

vide-

videtur, lumen illud quo animus & illustratur & accenditur, adeo internum hominem ornare, atque immutare: vt etiam divina dispensatione in corpus redundet, ac derivetur: gloriam quoque animæ subinde in corpore etiam mortali prodere sese, atque emicare solitam. Orante certè Christo Servatore *in monte Thabor*, in solis similitudinem corpus eius sacrosanctum transformatum est, nec corpus modo, sed & vestes eius factę sunt albæ sicut nix. Enimverò, nec ab historia nostra recedere necesse est. Ita enim facies Moysis è mõte descendentis fulgebat, vt in eam, filij Israel intendere nequirent oculos; & cornua in fronte gestare videretur. Multi sanctorum facie fulgente visi sunt, ideoque eorum statuis & imaginibus diadema affingitur, vt appareat, gloriam animæ ad corpus ipsum, haud raro derivari. Hæc initia sunt glorię corporalis, quam Dominus impertiturus est in die consummationis sæculorum, eaque cuiusque meritis, & maximè interni hominis tribui debet; quodque illo tempore consummabitur: ad spem nostram excitandam misericordiarum parens scintillas aliquas fidelibus amicis suis prębere nõ dedignatur. Hinc Beatus Paulus *nos verò omnes* inquit, *revelata facie, gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Spiritus Domi-

Lumen non raro in corpus redundare.

Matt. 17. 2.

2. Cor. 3. 18.

Domini animam sanctificat, animam illustrat, & suo igne succendit. Idem Spiritus corpori nostro (quod sese spiritui divino instrumentum fidele præbet, ac tabernaculum purum atque inviolabile domicilium) in die resurrectionis gloriam quoque impertiet promissam. *Si* enim *Spiritus Christi habitet in nobis, qui suscitavit Iesum à mortuis convivificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum eius in nobis*. Ab eodem spiritu, si quæ lux in corpore subinde apparet procedere fateamur necesse est; qui de se bene merentibus, & bene ipse mereri; & eosdem ornare & illustrare non dedignatur. Hanc veritatē in vna sanctissima virgine Deus declarare voluit, cui, quod Isaias quōdam adscripsit Ierosolimæ civitati aut certè gloriæ Ecclesiæ Christi, idē Christus attribuere dignatus est.

Rom. 8. 11.

D. Catharina Bononiensis cœnobij corporis Christi Bononiæ moderatrix, cū sedulò impositæ sibi provinciæ munus obiret, & prope sub onere fatisceret; accedente ad corporis infirmitatem febri, capitis & pectoris doloribus, sanguinis profluvio, gravi demum affecta totius corporis languore, tantùm non occubuit. rata benignissima mater instare mortem, magnopere rogavit vti lectulus cui affixa iacebat, in medio cubiculo, vnde & à circumstante virginum corona commodè videri posset, & ijs imminens mortis periculum

culum denuntiare, sterneretur. Omnes deinde, vt mater, beneuole compellans, ad cōcordiam in primis; multis & gravibus verbis est adhortata. Nonnulla subiunxit quorum observatione Deo magis ac magis essent gratiosæ. macte animi: mox, inquit, ad Deu migrabo, cuius vberem gratiam & cōsolationem, me vobis impetraturam confido. Eam amantissimæ filiæ cùm vergere ad occasum vitæ intelligerent, ad preces confugerunt, quæ tam diuturnæ fuerunt, tot permixtæ lachrymis & gemitibus, vt cęlum ipsum reclusisse quodammodo viderentur. Sacro inūcta est oleo, atque adeo omnes in ardentissimis precibus persistentes, ad eius sese parabant excessū; cū ecce Deus, sanctarum virginum vota visus est exavdire, & spem aliquam diuturnioris vitę facere. rursus nec mora, putares illā ingravescēti morbo cedere: vt perparū supervictura etiam expertissimis videretur, nempe à sensibus abalienata, in conuallem, omni eloquentiā amæniorem abducitur; cuius in medio spectabatur Christus; ei à dextris mater dilectissima adstabat; vnde & accepit Catharina numinis hoc fuisse decretum, vt illo morbo, vivendi finem faceret, & promerita in cælo gloriâ frueretur; sed filiarum impensissimâ observatione, quæ matris interitum non possent non molestè ferre, effectum, vt ei vita tan-

tisper prorogaretur, idque tum ad meritorũ eius amplificationem, tum ad illarum leva-men esse concessum. Thronus in quo Christus residebat maximum splendorem circum fundebat, cuius à tergo supernè instabat hinc Divus Laurentius, illinc Beatus Vincentius magnâ stipati Angelorum multitudine, qua visione hic retinebatur Catharinæ animus vt expleri nulla ratione posset. Ante Christi thronum Angelus aliquis in hæc verba lyrã
Isa. 60. identidem plectebat. *Et gloria eius in te videbitur.* Putabat ipsa inter placidissimos cantus extremum exhalare spiritum. Verùm Christus exporrecta dextra virginis manum apprehendens. Audi inquit filia hos cantus eósque in animum altè demittito. *Et gloria eius in te videbitur.* stupore defixa præ numinis maiestate, non habebat quod responderet. Tandem cùm inter alia arcana non morituram sese ea ægritudine accepisset, subitò disparuere omnia: ipsa sibi restituta, sensit pristinum redire vigorem, & paucis post diebus sanitati, qualis ante fuerat, est reddita. Hæc
c. 26. in eius vita. Est quippe perfectio nostra & illa maximè quæ in congressu cum Deo summopere elucet in eximio fructu ac emolumento proximorum, species quædam nec vulgaris gloria Dèi, qui splendorẽ suum & animæ cõtẽplanti communicat, & eandem gratiam in proximorum salutem redundare permittit.

SEC-

SECTIO SECVNDA.

De secundo actu contemplationis, qui est amor Dei.

1. EX priori actu intellectus, fidei item ac sapientiæ; & maximè ex subsidijs ac luminibus eximijs, (quæ in contemplatione, menti apprime dispositæ infunduntur) generatur singularis animi propensio atque affectus in Deum, tamquam summum bonū nostrum; à quo bona omnia profluunt, quique nobis velit optimè, & qui diligentibus se infinita bona preparavit. Sed prima ac potissima ratio diligendi Numinis, in eius excellentia, gloria, maiestate, ac bonitate fundatur. Meretur enim diligi ob infinitam gloriam, & bonitatem suam. Quæ ratio vnica cùm sufficere debeat, cætera tamen vt fomenta quædam subserviunt, ad inflectendū animum, qui non potest non admodum affici erga benefactorem suum, omniumque rerum auctorem, finem & beatitudinem suam.

Origo amoris in contemplatione emicantis.

2. Sicut enim in cęlis beatitudo non est omnino perfecta, etsi homo Deum videat, nisi ex ea visione, & cognitione enatus amor beatificus accesserit, qui teneat & possideat summum suum bonum, & ab eo separari nolit. (Nam per Divinam potentiam

fieri potest, vt Lucifer Deum videat, non tamen erit Beatus; eò quòd Deum oderit, & amare non possit. Imò maximè cruciabitur, rei, quam odit adhærescens; cùm odium lōgissimè à se odiosa avocet.) Ita etiam contemplationis actus primus, qui in discursu intellectus consistit circa res divinas, aridus & inanis habebitur, si amor absit, qui Deum tamquam summum bonum sibi vniat, & imperio suo per intellectum tamquam præsens teneat, ac complectatur, dicatque cum sponsa.
Cant. 3. 4 *Tenui eū nec dimittā.* Ergo hi duo actus inprimis coniungi debēt, nempe cognitio & amor.

3. Hinc textus noster hanc speciem gloriæ Dei, seu contemplationem igni comparat. *Erat enim* (inquit Moyses) *species gloriæ Dei, sicut ignis.* Ignis lucem inprimis præsefert & contemplatio hanc primo loco requirit. *Absurdum iudico* (ait Basilius) *quòd cùm sensus corporum nostrorum congruenter proprijs reficiamus materijs, mens sola à propria summoveatur operatione: vt enim sensus rerum sensibilium; ita & mens intelligibilium notionem & conceptum habet. Illumina,* ait David, *Domine tenebras meas.* Hanc cōtemplationem studiosi a Deo apprime requirunt. Et B. Paulus. *Illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.*

Ignis & amoris symbola.

Epi. 142.

Psal. 17. 29.

2. Corin. 4. 6.

4. Præter lucem; ignis, calorem continet. Et ignis amoris Domini qui secundas tenet in contemplatione, plane hominem incen-

dit,

dit, cor inflammat, voluntatem ardore divino adurit, Deoq; planè adiungit. Sicut enim ignis vbi ferrum invasit aut ligna corripuit; vnum quodammodo cum illis efficitur: ita & animus igne charitatis succensus, in se Deũ (cuius se nutui ac voluntati penitus submittit) intimè admittit, & vicissim amore in Deum colliquescit, vt se mutuò invadere videantur.

Hinc singularis vnio inter Deum & animam nascitur, quæ veræ amicitiæ partes omnes complectatur. De quibus fusè egimus libro primo de studio perfectionis capite 32. parag. 34. & sequentibus. Naturales vniones cum Deo tres nonnulli constituunt. Vna est rebus omnibus communis. Est enim Deus omnibus rebus præsentissimus, eisq; esse suũ communicat, & illud conservat, vsque adeo, vt si res illas desereret, aut se eis subtraheret, totę in nihilum redigerentur. Vnio tamen illa non est essentialis, quasi duæ naturæ essẽtialiter essent vna, quod ne in Christo quidẽ (qui Deus & homo est) locum habere potest. Sed res omnes conditę adhærent primæ causæ, sine qua esse, aut existere nullo modo possunt. Altera vnio paulò sublimior videtur, & ad vitam, & vitales actiones refertur: in quibus cooperatio, ac vnio Dei vt primæ causæ requiritur, qui non modò potẽtiarum siue facultatum auctor est; sed & illæ

Vnio cum Deo triplex.

Naturalis.

ipsæ internæ hominis potentiæ, memoria, intellectus & voluntas ab eius conservatione, & cooperatione dependent, vsque adeò, vt si rerum Conditor vices suas subtraheret, causæ secundæ nihil efficerent. Illis subductis ignis non adurit, aqua minimè madefacit; lapides & saxa devoluta non concutiunt nec lædunt: cogitationes & imaginativę in actū non exeunt. Denique in memoriam nihil veniet; intellectio vacabit; voluntas, velle desinet; si primæ causæ concursus subducatur. Tertia vnio est partium ac facultatum corporis; per quod corpus vniversum, perq; sensus omnes, & principes humores, ac nobiliores partes, vis illa divina diffusa, omnia conservat, auget, movet & operanti cooperatur, tamquam suprema causa; adeò vt non tantùm motibus procuratis corporis adsit; sed & nutritioni, digestioni, accretioni, quæ omnia perficit intimè præsens, vt auctor naturæ ad quem pertinet res conditas conservare, perficere, & ad finem suum vltimum deducere.

6. Hæ tres vniones vt naturę terminos non excedunt; ita nihil etiam meriti habent, nec ordinem proximum, aut idoneum ad beatitudinem supernaturalem continent; nam communes nobis sunt cum bestijs, excepta intelligendi, ac benè agendi facultate: eiusdem quoque rationis sunt, & ex partę Dei non

mutant

mutant rationem causæ. In cunctis enim Deus se habet, vt causa productiva agens & rerum conservativa: & vt res omnes perficiat, quasi iugo trahendo sese alligat, *attingens à fine vsque ad finem fortiter & disponens omnia suaviter.* Sap. 8 1.

7. At vniones istę elevari possunt, atque exornari; & quidem vt ab vltima ordiamur. Si animus gratia naturali sustollatur ad statũ iustorum, ac filiorum Dei; operationes corporis nobilitantur virtutum actibus. Deus verò non modò cooperatur, vt auctor naturæ; sed vt gratię parens; sicque corpus cohonestatur præsentia spiritus sancti, eiusque templum ac instrumentum efficitur: salutares evadunt afflictiones, pœnę, calamitates & castigationes sponte susceptę. *Propter te,* ait David, *mortificamur tota die, facti sumus sicut oves occisionis. Sed in omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Accedit imitatio virtutum, & perpessionum, quas in corpore suo Christus Dominus sustinuit. *Nemo mihi molestus sit,* ait Paulus. *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Perficitur quòque secunda vnio potentiarum, per gratiam, elevatione, & internorum habituum munimine, item per actus internos virtutum supernaturalium & per actiones alias, ad Dei honorem & gloriam relatas. Maximè verò exornantur continuo vsu virtutum Theologicarum, quibus

Vniones nobilitantur.

Psal. 44. 23.

Rom. 8. 36.

Rom. 8. 37.

Gal. 1. 6. 17.

homo Deo intimè vnitur, & cum eo quodammodo coalescit. At nobilissima vnio est; qua homo se ardentissima caritate, cum Deo conglutinat, cùm in vsu omnium virtutum, tum maximè in exercitio contemplationis: ex qua quæcumque internè, externéque postmodum peraguntur, virtute præstantissimæ illius vnionis, ad Dei amorem, honoremque fervent spiritus divini impulsu, referuntur.

8 Ignis elementum, semper in altum as-
3. surgit, et si obstaculum inveniat, viresque cō-
Symbolū stētac sufficiant, evertit moles gravissimas, se-
ignis & contemplationis. q; minimè deprimi patitur: nec cessat donec supremum locum teneat. Hoc efficit contēplatio, quę ignis huius nutritia est, & in qua tanquā in cētro suo requiescit; sed & homines eleuat & si in eorū animis obicē inueniat; haud dubiè evertet ac prosternet, quātūcumque moles magna fuerit, modò, is non repugnet; à cuius arbitrio hæc tam nobilis victoria pendet. Hoc igne inflammata contemplatio, in suprema surgit, ascendit; & ad thronū vsque divinæ Maiestatis pervenit.

4. 9 Hoc idem elementum vim inter cætera
Symbolū habet maximam, penetrat intima cuiuscum-
ignis & contemplationis. que rei, nec modò agit in rem quam tangit, sed in res remotas, quocumque nimirum eius vis & calor potest pertingere. Et ignis divinæ contemplationis cælum penetrat, Deum attingit, ex eius sinu vrendi vim surripit;

inde

inde sublatum ignem mittit in terram, & omni conatu nititur efficere, vt ardeat, & omnes incendat. Nec tantùm eos, quos alloquitur, sed & rebus gestis, scriptis, orationibus, corporis compositione, exemplis longè etiam dissitos sua flamma comburit. Orans Beata Elizabetha pro peccatore quodam obdurato ita eum commovit, vt & corpus velut igne incendi videretur; seque manus dare omnipotenti Deo fateretur. Sancta etiam Catharina Senensis orans pro Confessario, ita eum permovit, vt medullitus compunctus, lacrymarum vim vberrimam perfunderet. *In eius vita.* *In eius vita.*

10. Ignis id habet etiam proprietatis, vt in se omnia convertat. Sanè ignis caritatis ita contemplantem in se convertit, vt quidquid infirmitatis humanę est in homine, illud tollere primum, & eum in divinum quendam statum transformare videatur. Hinc excessus nascuntur admirandi & quamplurimi in augustissimo illo exercitio; suique subinde oblitus homunculus, ita in Deum abripitur, ac si sensus deessent, & anima separata in beatorum consortio, cum summa illa Maiestate compareret. Hinc Sanctus Bernardus. *Cùm* (ait) *duo sunt contemplationis excessus; in intellectu vnus, alter in affectu; vnus in lumine, & alter in fervore; vnus in cogitatione, & alter in devotione. Pius sanè affectus & pectus amore calens* 5. *Symbolū &c.* *Ser. 49. in Cant.*

& sanctæ devotionis infusio, & vehementis spiritus repletus zelo, non planè aliunde quam è cella vinaria reportantur contemplationem cellam vinariam nominat Sanctus Abbas, eò quòd in ea mustum generosum, ac potentissimum vinum bibatur, quo homo inebrietur, incalescat, & à se deficiens, non in bestiam sine sensu, sed in divinum hominem, excusso proprio, & vitioso sensu transformetur.

11. Est ergo species gloriæ Domini tamquam ignis. Et in hoc summa Dei gloria conspicitur, si in misero homuncione Deus aliquid sui reperiat. Quid? Ignem: Deus *ignis consumens est*: Quid? Cognitionem sui & amorem. Quid præterea? Vnionem singularem: quid denique? Voluntatum conformitatem. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.* Hæc est gloria Dei, vt non tantùm in se glorificetur, cùm natura sua omni gloria dignissimus sit: sed vt hominem confusione, ac damnatione dignissimum, similem sibi efficiat, & ad divinum quemdam statum attollat, atque in eo gloriam & laudem recipiat. Ex hoc summa in Deum gloria redundat.

TEX-

TEXTVS DECIMVSNONVS.

Super verticem montis.

De tertio actu contemplationis, nempe admiratione.

1. EX his duobus actibus, cognitione nempe & amore sequitur *admiratio:* etsi enim ex sola cognitione, natura sua, illam sequi contingat, non est tamen admiratio contemplantis, quam quærimus, quę hominem rapiat & delectatione perfundat. Etsi enim quis cognoscat dæmonem & apprehendat eius naturam, quæ in se magnas habet perfectiones; nihilominus, si eum vt decet oderit, ac detestetur, cognitio illa pariet quidem admirationem, sed non alliciet ad vnionem, imò potius horrorem, alienationem, fugamq; excitabit. At res amata trahit amantem ad se, & generat admirationem, & eam quidem maiorem, suauiorem, & constantiorem. Attentio, atque obseruatio quoque erga rem amatam, maior est. Quod enim diligimus attentè consideramus, obseruamus, & ad eius imitationem, possessionemque contendimus, atque admitimur. Vxor maritum admiratur, eiusque virtutes, ac laudes. Etsi in alio longè ampliores emicent, & multò amplius *Amor magna admirationis ratio.*

sæpè

sæpè apprehendat quam res sit, hoc amor efficit: sæpius enim eius dicta, factaque recurrunt ac obversantur, eaque sedula mente observat, & quia eius amoris magnitudine stimulatur, nullum in mundo formosiorem, iustiorem, sapientiorem, sanctiorem reputat. Et nos parentum origines, res gestas, & ipsos maximè extollimus, suspicimus, atque admiramur; quia maiora apparent facinora, ac præclare res gestę, ac virtutes in eo quem diligimus, quàm in eo, quē solùm cognovimus. Itaque amor in hac admiratione magnum momentum habet; producitque in cognitione attentionem, observantiam, prosecutionem, possessionis ac vnionis desiderium: rem denique, etsi ea ex se parva esset, eximiam amplissimamque repræsentat. Quòd si illa magna, illustris, eximiaque sit, eandem vt ingentem, excellentem, summamque & immensam suspicit, ac complectitur. Ita res agitur in actibus contemplationis, vbi Deus summè bonus conspicitur, eo modo, vel quo status peregrinationis huius permittit, vel quē divina benignitas indulgere ac elargiri supra cōmunē cursum dignatur. Cognitio & amor coniūctim res ipsas illustrant, & ad admirationem provocant. Et quidem si vterque magnus est, magna erit admiratio, & quò maior, eò etiā admiratio amplior ac sublimior.

2. Duo

2. Duo autem sunt quæ admirationem in contemplatione pariunt: rerum nempè divinarum & magnitudo, & pulchritudo. Cū enim mens illustrata divinitus, res adeò sublimes iuxta ac pulchras conspicit, & quidē alio quàm solito modo, & quasi clarioribus oculis; eædem omnino novæ, & quasi fuisset ante incognitæ apparent. Hæc autem novitas admirationem excitat etiam in re, quæ magnitudine atque excellentia careret. At si nova res accidat, aut cognitionis modus, quasi novam objiciat, certe non potest, non, qui videt, admiratione extolli. Atqui res divinæ tales sunt, quales: *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.* Hinc admiratio, hinc stupor, hinc mentis excessus, hinc summa delectatio, ac voluptas, quæ in cor hominis ascendere vix possunt. Omnia namque, quæ de Deo dici ac cogitari valent, magna, ingentia, excellentia; sed & pulchra sunt. Dicit Salomon. *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Si creatura creaturę consideratione, admirationem concipiat, inde in Creatoris cognitionem & amorem veniat; quantò magis, si Creator ipse lumine quodam cęlesti apprehendatur, & amoris, cognitionisque brachijs teneatur. Vnde meritò, Salomon, *cogitare*, inquit, *de illo sensus est consummatus, & qui vigilaverit propter illū, citò securus erit.*

Duo in contemplatione admirationem pariunt.

1. *Magnitudo rerum divinarū.*

Isa. 64. 4. & 1. Cor. 2. 9.

Sap. 13. 5.

Sap. 6. 16.

Si

Si cogitatio sola sensum homini reddat consummatum; si illum eo loci deducat, vbi securus erit; quid erit contemplari, ac gustare, quàm suavis est Dominus, & in eius tabernaculo & protectione conversari?

Psal. 144 3. 3. *Verè magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Excelsior cælo est & quid facies? Profundior inferno & vnde cognosces?* *Iob. 11. 8* *Hæc dicit Dominus. Cælum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum.* *Isa. 66. 1* *Si occultabitur vir in absconditis & ego non video cum dicit Dominus; nunquid non cælum & terram ego impleo?* *Iere. 23, 24.* *Dicit Dominus. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: etsi ascenderint vsque ad cælum, inde detraham eos.* *Amos. 9. 2.* Nec multùm laborandum est, vt Deum magnum esse probemus, cùm cõstet immensum & infinitum esse, cælũ, terramque & mille mundos alios, si essent, & posse & reipsa ea quæ sunt, implere. Magnus est, quia supremus omniũ Rex; magnus quia omnia potest; magnus quia dives; magnus quia infinita eius sciẽtia, sapiẽtia, bonitas, ac fortitudo, cui nemo queat resistere.

Dei pulchritudo. 4. Pulchritudo in Deo summa, & illa est, quæ cælites omnes rapit in admirationẽ; quã quia videre hic nequimus, nisi in speculo & ænigmate; hinc fit vt minimè suspiciamus, & in eius amorẽ tardiùs ac frigidiùs trãsferamur. Omnis pulchritudo creaturarum ab eo producitur & conservatur. Quomodo verò ea pulchra erunt, & ipse speciosus non erit?

De

De filio Dei dicitur *speciosus forma præ filijs hominum.* Certè patris similis filius est. Est ergo parens summa pulchritudine præditus. Nemo dat, quod non habet: atqui *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* Virtutes & sapiẽtiam, vniversi quoque formas; species rerũ omnium, compositionem ac naturam, speciosissima prædicamus; eò quòd rationis immẽsam symmetriã rerũ, atque cõsonam quandam harmoniam partium inter se; & velut faciem coloribus aptis distinctam non possit non probare, diligere, suspicere atque admirari. Atqui ista omnia longe perfectiora sunt in Deo, quàm in vlla re quantumcumque perfecta atque illustri atque eximiè pulchra: nam vna perfectionum eius, ceteras omnes continet, tantaque singulorum attributorum varietas, varietatum omnium tanta vnitas, tantus concentus & harmonia, decens, consona, ac consentiens dispositio, vt nulla lingua, ne angelica quidem, longè minùs humana infirmitas, non modò exprimere, sed ne adumbrare quidem sufficiat. Et sanè si pulchra ea corpora dicimus, quę vel colorum varietate distincta, ex humorum temperie, sãguinisque bonitate proveniente; vel proportione membrorum, & complexionis prestantia exornata sunt: quantò magis eos spiritus perelegantes dicemus, qui & natura

Psal. 44. 3.

Iac. 1. 17.

corporibus superiores, & ingenijs sublimiores, & donis cælestibus eminentiores conditi sunt. Sanè cùm P. Fernandes, sese Traiecti ad mosam in collegio Societatis nostræ, ad exitum ex hac vita disponeret, adfuit illi Angelus Dei, quem intuitus tanta lętitia perfusus est, vt vix seipsum caperet, ac etiam tum affirmavit, quęcumque pulchra in mundo essent, huius comparatione deformia videri. Quòd si spiritus beati, qui Dei comparatione vel atomus in omni genere dici possunt, adeò compositi, elegantes, ac pulchri sunt: quid erit ipse Conditor omnium, & pulchritudinis auctor? Quasi verò corporum sua sit pulchritudo, mentium autem nulla: elemētorum & lapidum sua elegantia, rerum denique ceterarum sua venustas, decentia ac præstantia; virtutum verò decor & ornamētum extare possit nullum.

Christi pulchritudo. 5. Sed non prætermittamus consideratione filij Dei, qui etsi veste huius mortalitatis, pro salute nostra circumdatus fuerit, *decorem tamen indutus est, indutus est fortitudinem & præcinxit se.* (*Psal. 92. 1.*) Si Deo pulchritudinem ascribimus, & ipse Christus Iesus Deus est; & vnum & idem in natura cum patre: hac igitur divina pulchritudine carere non potest. At quatenus homo est, fateor vera dixisse prophetā: (*Isa. 53, 2.*) *non est species ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus & desideravimus eum despectum &*

& nouissimum virorum, virum dolorum, & scientẽ infirmitatem; & quasi absconditus vultus eius & despectus; vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et per Regium Prophetam ipse ita de se loquitur: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* De interno tamen homine idem Propheta testatur, *speciosum esse forma præ filijs hominum.* Et in canticis ipsā sa ita ipsi gratulatur, *& tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus: caput eius aurum optimum:* denique depingit illum à capite ad calcem, summis perfectionibus exornatum. Et quamvis omnia ad internum hominem pertineant: insinuat tamen singularem etiam corporis compositionem, proportionem, sanitatem, & omnium partium excellentiam, sic vt & in sensibus, in ore, in vultu, in gestibus ipsa interna perfectio eluceret, meritoque dici possit de eo, siue quoad corpus, siue quoad animam, esse *speciosum forma præ filijs hominum.* *Psa 21. 7.* *Psal. 44. 3.* *Cant. 1. 15.* *Cant. 5. 10.* *Psal. 44. 3.*

Quid de concentu virtutum eius efferam? quid de animæ ornamentis? quæ omnia in vita ac moribus, tamquam gemmæ lucent, & admiranda apparent oculis meditantium, rapiuntque cōtemplantium animos, in summam admirationem. *Excessus mentis varij gradus.*

6. Ex harum rerum vehementi apprehē-

 sione

ſione, addito cæleſti lumine, & ardenti con-
tẽplantis amore, naſcitur mentis exceſſus; qui-
quidem varijs gradibus diſtinguitur. Primus
eſt quo ij perfruuntur, qui abundantia cæ-
leſtis luminis, & teneritudine cordis affecti,
eximia voluptate perfunduntur, divinæ ma-
ieſtatis tamquam præſentis fructu ac poſſeſſi-
one; legem tamen ordinariam non excedũt.
Phil. 4. 7 De hac loquitur Apoſtolus: *& pax Dei, quæ
exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, &
intelligentias veſtras.* Alius gradus eſt eorum,
qui elevantur a Deo præbente ſpecies, ſed e
corporibus eductas: vt cum Ioannes vidit a-
gnum ſtantem tanquam occiſum; equos al-
bos & nigros. Hoc ſubinde contingit in ſom
nis: vt quando Pharao vidit ſeptem boves,
& ſeptem ſpicas. Subinde etiam vigilanti
accidit: vt cùm Ezechiel quatuor animalia
plurimis faciebus atque oculis diſtincta conſ-
pexit. Alij rapiuntur à ſenſibus, & tunc ceſ-
ſat phantaſmatum vſus, & in eorum locum
ſufficiuntur ſpecies intellectuales, cęlitus im-
miſſæ. Raptus ille ſupra animam fieri dicitur
Thren. 3. vt eſt apud Ieremiam. *Sedebit ſolitarius & ta-
28. cebit, & levabit ſe ſuper ſe*; manet tamen ani-
mus in corpore, ſed ſenſibus non vtitur: tales
acceſſus experta eſt frequentiùs Catharina
Senenſis, præſertim ſacra communione re-
fecta. Alia extaſis eſt qua homo extra ſe ra-
pitur. De qua Sanctus Paulus de ſe loquens:

ſcis

ſcio (inquit) *hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſit, raptum huiuſmodi, vſque ad tertium cælũ.* Subinde raptus iſte diuturnior eſt. Vt contigit Beato Ignatio per dies octo continuos. Aliquando momentaneus inſtar fulguris: tanta verò myſteria, hoc exiguo tempore, ſubminiſtrat ac ſuppeditat bonus Dominus, vt multorum annorum ſtudium breviſſimo ſpatio æquare, atque adeo ſuperare videatur. 2. Cor. 12. 3.

7. Hoſce gradus omnes, Richardus à Sancto Victore ad tres reducit. *Mentis dilatatio* inquit, *eſt quando animi acies latiùs expanditur; & vehementius acuitur, modum tamen humanæ induſtriæ nullatenus ſupergreditur. Mentis ſublevatio eſt, quando intelligentiæ vivacitas divinitus irradiata, humanæ induſtriæ metas tranſcendit, nec tamen in mentis alienationem tranſit; ita vt & ſuper ſe ſit, quod videat; & tamen ab aſſuetis penitus non recedat. Mentis alienatio eſt, quando præſentium memoria menti excidit; & in peregrinum quendam & humanæ induſtriæ imum animi ſtatum, divinæ operationis transfiguratione tranſit. Hos tres contemplationis modos experiuntur, qui ad ſummam huiuſmodi gratiæ arcem ſublevari merentur.* Hæc Richardus. Lib. 5 de contemplatione p. 1. c. 2.

TEXTVS VIGESIMVS.

In conspectu filiorum Israël.

De zelo animarum & humilitate servanda.

Contemplatio minor beatitudine. 8. DVo hic occurrunt in vertice adeo sublimi, memoriȩ mandanda. Alterum. Quantumcumque profecerit quispiam in contemplationis perfectione, omnem tamen illius consummationem imperfectam esse, si cum ea, quæ in cælis nobis continget, conferatur. Testatur is qui etsi *raptus ad tertium cælum, audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*; tamen *ex parte* (ait) *cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

2. Cor. 12. 4.

1. Cor. 13. 9, 12.

Contemplatio referri debet in zelum animarum. 9. Alterum est vt memores simus, huiusmodi gratiarum communicationem, quȩ ex cõsortio diuino tribuuntur, & referri in proximorum vtilitatem; & reipsa, quemque, suo tempore, alijs liberaliter impertiri debere, quȩ à Deo tam profusa largitate gratis receperit. Et hoc ipsum textus noster indicat, cùm ait, speciem gloriȩ Domini fuisse instar ignis, in conspectu filiorum Israel. Ideo nãque

que *lucere* debet *lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorifi-cent patrem nostrum qui in cælis est.* Si enim Christus, qui ab æterno in sinu patris residens, omnem gloriam, qua beati perfruuntur, cum misero hominum statu commutare dedignatus non fuerit; & eo maximè fine, vt quæ ex eodem sinu hausisset, ea mortalibus communicaret. Quid mirum si qui non à natura, sed à Dei benignitate adeò preclarum munus accipiunt, vt ad tantæ Maiestatis familiaritatem admittantur: illi deinde nonnihil descendant ad alios iacentes, aut minus erectos elevandos, & reducendos, suoque Creatori restituendos. Nos nobis nati non sumus, sed Deo & reipublicæ. Ita enim ratiocinatur Sanctus Gregorius *Cùm proximorum*, inquit, *causis exterioribus, qui aptè deserviant desunt, debent hi quoque, qui spiritualibus donis pleni sunt, eorum infirmitatibus condescendere, terrenisque illorum necessitatibus, in quantùm decenter valeant, charitatis condescensione servire; nec tædere animum debet, si sensus eius contemplationi spiritualium superintentus, aliquando dispensandis rebus minimis, quasi minoratus inflectitur; quando illud verbum, per quod constat omnis creatura, vt prodesset hominibus assumpta humanitate voluit paulò minus ab angelis minorari.* Hęc Gregorius. Quare D. Bernardus ijs qui à suavibus illis Dei complexibus ægrè se avelli patiuntur exponens,

Matth. 5, 16.

Lib. 19. mor. cap. 22.

quodnam sit verum officium cõtemplationis ita ait. *Hoc vera & casta contemplatio habet, vt mentem, quam divino igne vehementer accenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant; vt otium contemplationis, pro studio prædicationis lubentissimè intermittat & rursum potita votis, aliquatenus in hac parte, tantò ardentiùs redeat in idipsum, quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit.* Hæc Bernardus. Quod dicit de prædicationis officio, de præstãdis officijs caritatis, vbi de gloria Dei, & consolatione fratrum nostrorũ agitur, statuendum est. Facilè enim est cum Maria Magdalena otiari ad pedes Salvatoris, sed

Luc. 10. 40. Martha reclamat; *Domine non est tibi cura, quòd soror mea reliquit me solam ministrare, dic ergo ei vt me adiuvet.*

10. Addo & tertium; meminerit qui ad tantã celsitudinẽ extollitur, se esse mortalẽ, peccatorẽ, mutabilem; de cælo cecidisse Luciferũ, de paradiso excidisse primum hominẽ, Dei manibus creatum, vniversi parentem, summis gratiæ præsidijs munitum. Cognoscat donum istud intimi cum Deo consortij omnino esse celeste; beneficiumque à Deo singulare. Caveat etiam atq; etiã ne extollatur, sicut potens in potentia sua: sed & cùm obtinuerit humiliter gratias agat, & cùm sese Dominus retraxerit, patienter ferat, norìtq; dicere, *Deus meus illumina tenebras meas. Omnis enim*

Ad humilitatem conservãdam & augendã.

Psal. 17. 29.

Matt. 23 12.

enim qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.

SECTIO SECVNDA.

De delectatione quarto actu, fructuque contemplationis.

1. Actus quartus contemplationis est incredibilis fructus, & delectatio, quæ ex Dei presentia, colloquio, luminibus, auxilijs, communicatione secretorum, virtutũ incremento percipiuntur. Magna hęc sunt, & nescio an maiora in hac peregrinatione excogitari possint: lętantur homines parvo accepto beneficio: efferuntur lætitia si thesaurum inveniant, si verbũ gratum a Rege accipiant si promissum beneficium audiant; imò si ad eius colloquium admittantur. Quid de regibus loquimur? Plusquam Salomon hic est Rex Regum, Dominus Dominantium, qui in manu orbem gestat, & cuius comparatione instar pulvisculi omnia reputantur, & huic liceat colloqui, cor manifestare, audire & reddere voces. Hic sileat omnis eloquentia, calamus omnis stupeat, lingua hæreat, & omnis sapientia humana tanto fulgori se palpitando submittat. *Quid retribuam Domino,* ait propheta, *pro omnibus quæ retribuit mihi.* Multa & excelsa fecit tibi ô Rex David; sed illud summum quòd te frequentissimè in cõsortium familiaritatis & deliciarum suarum

Fructus contemplationis. 1. Lætitia spiritualis.

Psal. 115 12.

Can. 8. 7 admittat. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione,* & retributione, *quasi nihil*
Luc. 1. 49. *Deus despiciet eam.* Fecit Dominus seruis suis *magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Quare idem rex meritò exclamat. *Quàm magna*
Psal. 30. 20. *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Abscondisti eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum.* Quid maius, maiorique consolatione dignum recenseri potest? Oculo Dei teguntur isti, vt nemo qui noceat aut turbet, appropinquare possit. Si quis eminus telo petere velit; si quis lingua venenata perfodere; nec id illi integrum relinquitur: nam absconditi sunt in tabernaculo Regis. Circa quod multi præsidiarij astant, & accedentes arcent, atque in fugam conuertunt.

Lætitia spiritualis Origo. 2. Hæc animi letitia oritur primùm ex boni præsentis nonnulla possessione; quod bonum, cùm Deus sit, sequitur summum esse,
1. & summum gaudium adferre solere. Et censetur presens esse supra modum ordinarium; tum quia maiores effectus præsentię suæ tali animæ indicat; tum quia lumina, solatia, sensus amoris eximij, quæ omnia à nulla creatura produci possunt, satis arguunt digitum Dei hic esse; tum quia mens pura, & ab omni peccati labe purgata, seipsa fruitur ac vti-

tur

tur in honorem divinę maiestatis. Denique qui sic affligitur, multa sperat, & expectat de manu tam liberalis ac benigni Domini, atque in eius obsequio, & vivere, & emori, statuitque id ipsum firmiter, & confidit.

3. Ex hoc sequuntur gaudiorum excessus quidam; atque inprimis iubilus mentis. Qui enim hausto copiosè vino imbuti, & lęti sunt, & in voces lætitię prosiliunt, totique sese effundunt. Ita & qui nectar istud hauserunt, corde lętitia gestiente in hymnos & cantica prorumpunt, & toto animo in laudes divinas sese effundunt. 2. *Iubilus mentis.*

4. Alius excessus, ebrietas spiritualis vocatur: estque experientia voluptatis internæ, maior quàm cor hominis, aut appetitus capere possit. Vt eum ebrium dicimus, qui plùs vini accepit, quàm vt ferat eius natura, vsusque rationis. Eum quoque ebrium dicimus ac musto divino plenum, qui maiori copia nectar istud cęleste potavit, quàm vt natura capere possit. Generat verò hęc sancta ebrietas hos effectus; atque inprimis ad cantica, divinasque laudes referendas pium animum incitat, lacrymarum fontes profluentes ciet. Subinde hominem ad edendos motus externos inconditos impellit. Hunc Beatus Franciscus divinas laudes decantans labia lingebat, quasi ex ore mel exprimeret, quod rursus resorberet. Saltant alij, plauduntque ma- 3. *Ebrietas spiritualis.* *Eius effectus.*

nibus, ingenti clamore testantes voluptatem.

Lib. confess. Ita Beatus Augustinus post conversionem & baptismum suum, ebrius gratia ista dum interpretaretur psalmum quartum *Cum invocarem exaudivisti me*, mirum in modum hanc lætitiam testabatur. Et si potuisset, vti voce, Psal. 4.3 quæ per vniversum orbem exaudita fuisset, exclamasset, *filij hominum vsquequo gravi corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Nonnulli vagantur palabundi nescientes quid agant. Quod Beato Francisco Xaverio accidisse testatur Horatius Tursellinus. (In eius vita.) Alij his delicijs internè occupati obmutescũt, mirantur que ac stupent hominum dementiam qui cum hisce delicijs pasci possent, porcorũ siliquas admodum studiose conquirant, & Thren 4 5. *qui nutriti in croceis, amplectantur stercora.* Optant quoque omnium hominum conversionem, & cur ij ad cor non redeant & mirantur, & queruntur. Denique adeo excrescit huiusmodi voluptas, vt cor findi non rarò videatur; homoque planè deficeret, nisi & illa gratia, quę illum gaudio perfundit, eadē tueretur, ac fulciret. Hinc vox illa in canticis.

Psal. 4.1.

Can. 2.5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*

5. Ebrij post varias lætitiæ gesticulationes in somnum declinant, & ebrij nostri, sedato illo fervoris impetu, in Deo toti conquiescunt, & eo prolixè fruuntur. Hinc sponsus

in

in canticis. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Filiæ Ierusalem animæ piæ sunt. Capreæ cerviq́ue camporũ sunt sancti eminentes sanctitate, qui relicto hominum consortio deserta petunt, montes conscendunt, & potius in cælis animo, quàm in terris conversantur. Cornua gerunt in capite, virtutes nempe Cardinales & præcipue fortitudinem, quibus se contra omnes adversarios tueantur: hi, sponsæ seu piarum mentium curam gerunt, & eis præcipitur ne impediant sponsam in Deo quiescentem, quamdiu ipsa velit. Sponsa verò perfruens hoc beneficio, ait, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ex quibus colligimus contemplationẽ nomine somni insigniri. Quod Beatus Gregorius testatur. *Sciendum est*, ait, *quia in scriptura sacra somnus figuratè positus tribus modis accipitur. Aliquando enim somno mors carnis, aliquando torpor negligentiæ, aliquando verò exprimitur calcatis terrenis desiderijs quies vitæ, sicut sponsa in canticis canticorum dicitur. Ego dormio & cor meum vigilat quia videlicet sancta mens, quò se à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eò verius interna cognoscit; & tantò alacriùs ad intima vigilat, quantò se ab exteriori inquietudine occultat. Quod benè per Iacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit & obdormivit, à terra scalam cælo inhærentem, in-*

Can. 2. 7
Can. 5. 2.
Lib. 5. moral. cap. 21.

nixum scalæ, ascendentes quoque & descendentes Angelos vidit. In itinere quippe dormire, est in hoc vitæ præsentis transitu, à rerum temporalium amore quiescere. Angelos verò ascendentes cernere, est cives supernæ patriæ contemplari. Hæc Gregorius.

TEXTVS VIGESIMVSPRIMVS.

Ingressusque Moyses medium nebulæ ascendit in montem.

1. EIusdem repetitio hic est. Nam verba ista duplici de causa ponũtur, primùm quia nondum erat dictum Moysem ad montem pervenisse: deinde dicendum erat, ipsum quadraginta diebus & noctibus, in eo perseverasse. De ingressu in nebulam dixerat. Illud de appulsu ad montem, interiecta parenthesis à textus cõtinuatione, avulserat: montis ergo mentione facta apposite addit. *Et fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*

SECTIO SECVNDA.

De alijs contemplationis fructibus.

2. EX intima illa vnione cum Deo, qui voluntatis suę indicia, servis suis non,

non obscurè insinuare solet: oritur incredibile desiderium adducendi homines ad suum Conditorem, Deoque peccatores reconciliandi; iustos arctiùs adiungendi. Nihil enim Deo charius, nihil pretiosius hominibus; quos tanti fecit, vt sese hominibus totum quantus est, dederit, & infinita incommoda, acerbitates, ignominias, mortem denique infamem sustinuerit. Cùm ergo is tantas consolationes, tamque singularia dona continuò percipit, advertit voluntatis diuinę esse, vt proximorum salus procuretur, remque summam esse, summique pretij salutem animarum, eamque summopere Creatori placere; non potest ei non enasci singularis zelus, quo & in proximorum amorem feratur, eximiâ quadam animi propensione, seque ipsum lubenter impendat, & sanguinem profundat, vt tanti Domini voluntati respondeat. *Fructus extremi contemplationis* 1. *Zelus animarum.* 2.

3. Id efficit quoque frequens cum Deo congressus, vt omnem rerum terrenarum amorem exterminet, & omnes affectus in Deum transferat. Nam cùm Deus se adeò familiarem ostendat homini, solus amari vult, neminem amoris huius consortem admittit. Longè minus res caducas & inanes. Nec decet Dei domesticum, cum hisce vestibus, à mundo mutuatis, in triclinium summi Domini penetrare, ne ei dicatur. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Vestes enim *Exterminat rerũ terrenarum amorem.* *Matt. 22. 12.*

enim sunt affectus & amor rerum; qui hominem involvunt & obligant vndique, ne manibus, & pedibus Domino suo supremo obsequi possit. Quâ ergo fronte compareat famulus manicis & compedibus revinctus, alioque vestitu indutus quàm deceat civem sanctorum & domesticum Dei coram summi regis throno, & Angelorum conspectu?

3. *Passiones animi eliminat.* 4. Ob eandem causam necessariò exuere debet Dei amicus familiaris, omnes animi perturbationes, voluntatates, desideria inania, iudicium proprium, concupiscentiam deniq́ue cum veteris hominis corpore vniverso; eumq́ue Apostoli salutari consilio acquiescere decet dicentis, *renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis, Expoliantes vos veterem hominem, cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem eius, qui creavit illum.* Dedecet, inquam, barbaram vestem coram curia cęlesti deferre, & in ea gloriari. Accedit, quòd huiusmodi perturbationes, nō tantùm dedeceant, sed planè impediant accessum ad divinum numen, & eas odit Deus tamquam origines peccatorum, quæq́ue hominem planè à Deo avocent, eiusq́ue sanctissimæ voluntati è diametro repugnent. *Vult* 1. Timo. 2. 4. enim pijssimus omnium parens, *omnes quoque salvos fieri*: Hæ volunt omnes damnari, & ad

bara-

barathrum pertrahunt. Denique *in pace factus est locus eius*; illæ perturbant pacem, & quantum in se est, Deum à nobis avertunt, ac cor nostrum locum minùs idoneum ad divinam bonitatem suscipiendam redount. Si enim Deum in nobis vivere velimus, mori necesse est, quidquid vitæ spiritus repugnat. Traditus est Christus *propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram.* Moriantur ergo delicta nostra & iustitiæ vita locum in nobis inveniet. Hinc B. Bernardus. *Excedente anima, ait, etsi non vita, certè vita sensu; necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ & volabo & requiescam? Vtinam hac morte ego frequenter cadam, vt evadam laqueos mortis, vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta; vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ; ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte iustorum, vt nulla illã fraus illaqueet, & nulla oblectet iniquitas. Bona mors quæ vitam non aufert sed transfert in meliùs.* Vult ergo Bernardus nos acriter insistere mortificationi, quia dum vixerint in nobis passiones, Deus nobiscum familiariter vivere recusabit.

Psal. 75. 3.

Rom. 4. 25.

Serm. 51.

4. *Fructus Compẽdium perfectionis assequenda.*

5. Vltimus contemplationis fructus amplissimus est. Est enim via compendiosa, per quam facillimè perfectionem assequamur. Qui enim Deo peramanter colloquitur, eius au-

aurem habet apertam ac benignam, per quam quidquid velit potest obtinere. Et sane si anima Dei sponsa & dicitur, & sit: quid ei in thalamo a sponso recusari poterit? Adde virtutum omnium in contemplatione vsum esse perpetuum; auxilia maxima: stimulari, item increpari, reprehendique hominem; si proficere, desinat: mirum perfectionis in Deo exẽplar cõtineri: & videri ea pulchritudinis specie moveri, incitari, vrgeri ad imitationẽ; displiciturum summo Numini, si quis aliter se gerat, si parentis similitudinem non ęmuletur. Huc facit quod diximus hominẽ exui desiderijs & affectibus sęculi, animi perturbationibus, vitiorum odio inflammarij, quę vitia ac defectus cùm absunt: quid superest animæ, nisi vt tota feratur in amorem virtutis, & sui Conditoris? Hoc argumentum præclarè à Beato Gregorio tractatur.

Lib. 2. in Ezechi. hom. 15. *Qui sunt* (ait) *in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ per amorem, sponso invisibili iunguntur, vt eius desiderio mens ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt concupiscat; præsentis vitæ longitudinem, pœnam reputet; exire festinet & amoris amplexu in cælestis sponsi visione requiescere. mens itaque quæ iam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam quam diligit medullitus suspirat, fervet,*

Cant. 5. *anhelat, anxiatur, vilis fit ipsa salus sui corporis; quia transfixa est vulnere amoris. Vnde & in canti*

cis

tis dicitur; vulnerata caritate ego sum. *Cant. 5.*

TEXTVS VIGESIMVS SECVNDVS.

Et fuit quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

De mora in oratione tenenda, & eius causis.

1. MOdus loquendi scripturæ est, & maxime apud Hebræos. Nam dies naturalis tempus lucis & noctis continet. Nihilominus cùm dicimus aliquid factum die aliquo, ei qui fecit præsupponimus, quietū tēpus non fuisse neg[illegible]tum. Vt qui negotia gerunt in curia, vesperi domum redeunt, in cubiculum, lectumque se recipiunt, & quietis elapso tempore rursum exurgunt & negotia resumunt. *Quid dies 40.*

2. Tu verò Moyses dic nobis, quòd tibi diversorium in monte, quò te post diei imo quadraginta dierum labores singulos exantlatos recipiebas? Quod tibi cubile capiendo somno? Ex qua montis Sinai parte? Quis tibi mensam parabat? Et quibus dapibus reficiebare? Quinam tibi administri? Qui mensæ tuæ convictores ac convivæ? Sane ieiunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus Moyses; nam & Elias idem exercuit; *postmodum Christus sacravit, omnium rex atque* *Cur tamdiu Moyses in mõte hæserit.*

factor temporum. Nos dies negotijs impendimus; orationi verò ac contemplationi, vix quidem, momenta tribuimus. *Moyses fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus*: à colloquijs divinis non cessavit: nunquam mentem relaxavit: nusquam omnium dierũ quadraginta, vel parte minima fatigatum se sensit: nimirum breves epularum ac recreationum sunt horæ, & velut momenta effluũt ac dilabuntur. Labor non est, vbi amor dominatur; abest fatigatio ac tædium, vbi suavitas & voluptas. Breve tempus reputatur, cum æterna, & cum æterno Deo, tractantur negotia, ac transiguntur.

3. Sed quænam illic Moyses pertractabas? Quænam tanta Deo tecum negotia, vt vel tu illum vel ipse te quadraginta dierum spatio detineat; diei noctem iungas, & dies noctibus? Verùm cum magnis, magna, eaque diu, solideque tractantur; & quia magna sunt, nõ exiguo spatio cuduntur, & recuduntur. In aulis principum res parvę annos integros homines, & quidem benè occupatos detinent. Quæcumque cum Deo peraguntur, magna, excelsa, summa æstimanda sunt; quia & ipse magnus, excelsus, & summus est; & quæ ad eum pertinent, talia, etiam si à nobis exigua reputentur, æstimare convenit. Accidit Moysi multa in monte communicata fuisse, partim quæ ad gubernationem populi Israelitici spec-

ta-

tabant, quæq; ie futurorum figura existebant; partim quæ de venturo Messia prænunciavit; *vt omnia faceret secundùm exemplar, quod ei in monte monstratum erat.* Infinita sunt verò quæ ad regimen populi, ceremonias, tabernaculi & omnium quæ in eo continentur structurã spectabant; nempe omnia quæ in exodo, Deteronomio, in libris sequentibus Moysis & longe plura, quæ post Moysis mortem contigerunt. Hæc aut similia vt summi momenti detinuerunt Moysem, cum Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

SECTIO SECVNDA.

De significatione quadraginta dierum, quibus Moyses cibo caruit.

1. DVo tota hac celebri figura observari hactenus potuerunt. Vnum, quanta sit dignitas, atque eminentia orationis, cum eximia vtilitate coniuncta: alterum, eidem orationi annexum esse oportere inseparabiliter, ieiunium nempe, aut certe sobrietatis laudem singularem. Quâ de re initio vtcumque tractavimus. Hic verò quia Moyses, quadraginta diebus cum Deo in otio admodum negotioso versatus est, totidem sane ieiunavit, atque adeo vt ne guttam quidem aquæ delibarit; quo quisque intelligat, abstinentiam, ita cõiunctam esse debere ora- *Duo notari hoc tractatu. Orationis dignitatem. Comitẽ orationis abstinentiam.*

tioni, vt hæc, ab illa ſeparari nullo modo poſſit. Cumque Eccleſia tẽpus nobis opportunũ ſemel in anno preſcribat; cùm ſei iò orandi ac cum Deo res ſalutis noſtræ pertractandi, ac dominica myſteria commentandi; tùm certe etiam eadem totidem diebus ieiunij obligationem inducit. Vnde opportunè hæc noſtra figura, epiſtolæ loco, prima celebrioris inediæ ſeptimana, ſacro decantatur. Vt ſicut Moyſes quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ab omni cibo abſtinuit; ita & nos, non quidem ſine omni alimento, ſed ſine delicatioribus epulis, carnibus nempe, & quæ ab illis proveniunt, vna refectione contenti, idem tempus quadraginta dierum decurramus. Eſt enim iejunium diſpoſitio non vulgaris ad mentis elevationem, quæ in oratione ſummopere requiritur. Deprimit certe quam maximè, ſublevantem ſe ſpiritum, ventris repletio, ac deliciarum copia, citiuſque ſomnum provocat, quàm mentem in ſuperna rapiat ac ſuſtollat.

2 In quo ſanctitatem Eccleſiæ catholicæ agnoſcimus, quæ hoc ſacroſanctum inſtitutũ Spiritus ſancti lumine atque inſtinctu, & olim induxit, & obſervari ad hæc vſque tempora ſeveriſſimè curavit. Nos patrum exempla ſequimur; vt filij matris noſtræ, parentum veſtigia legimus, iamque imitandi Servatoris noſtri exempla, tamquam hæredes virtutum

tutum eius, in possessionem venimus, eaque pacificè fruimur.

SECTIO TERTIA.

Iejunij solemnis quadraginta dierum antiquitas, & obligatio.

3. PRæter illam modò dictam possessionem, post hominum memoriam conservatam, veritatem hanc probare statuo temporum lapsibus iam inde ad tempora Apostolorũ, qui Spiritu S. auctore, verbo, scriptis, exemplo huic sanctissimo instituto initia dederunt. In concilio Toletano octavo, ita severè Patres illi quadragesimam observandam esse decernunt, vt ijs & corporis Domini communionem in paschate negent, & toto anno carnium vsum interdicant, qui absque necessitate quadragesimam violare ausi sunt; quæ verò talis sit necessitas, non homines quoscumque, sed solos Domini Sacerdotes dijudicare voluerunt.

4. Pergo vlterius. In Concilio Laodiceno ante annos mille ducenos celebrato, frequẽtissima mentio est quadragesimę. Divus Leo vt ceteros omittamus sui temporis, quadragesimæ iejunium, ab ipsis Apostolis institutũ atque ordinatum fuisse luculenter docet. Beatus Augustinus quadragesimę observationẽ ab ipsis divinis literis, & veteris & novi tes-

Serm. 9. de quadragesima.

Epist. 119.

SECTIO SECVNDA.

Dies Tertius.

De tertia rupe; ignorantia & cognitione sui ipsius.

1. IN hac Moysis nube, alia caligo includitur nimirum Ignorantia sui ipsius. Mirum est animalia bruta domos ac stabula cognoscere, homines verò rationis capaces qui in sese habitant, vivunt & perpetuo versantur, se prorsus ignorare. Caligo hęc admodum deploranda in rupibus huius vitæ degētibus ac reptantibus, & in hac præsertim quę modò conscendenda proponitur. Diximus magnum esse virtutis indicium virtutes alienas videre, proprias non cernere; modò lugemus eosdem mortales, virtutes proprias perpendere ac palpare; sese verò ac vitia defectusque suos minimè agnoscere. Et huius quidem ignorationis originem, abyssum illā arbitror esse,, de qua Sapiens: *Abyssum & cor hominum investigavit.* Abyssus vere est cor hominis: sicut enim chaos illud quod commēti sunt Poëtæ initio mundi extitisse, omnium rerum confusarum materiem, ac veluti semina rerum continebant: ita & cor nostrum omnium perturbationū confusionem: radi- *Ignorantia sui.* *Eccl. 42. 18.* *Origo prima.*

ces quoque ac fibras; vitiorum etiam semina, quæ continenter pullulant, & ad mala omnia pertrahunt, comprehendit. Quis hanc rerum farraginem disiunget, distinguet, discriminabit?

Eius effectus. 2. Alia radix huius mali & intima origo, est vulnus illud, quo facultas intelligendi, vitio primi parentis, tamquam telo, confossa fuit. Hinc enim errores infiniti, in auctore suo, primoque principio agnoscendo. Cùm cultum atque honores ad teterrimos dæmones, ad infamia simulacra, toto pænè terrarũ orbe translatos, non sine summa admiratione ac dolore videmus. Huc accedit illa mortalium cæcitas turpissima, ad quam, proh dolor! devenere, vt dicant *bonum malum, & malum bonum*; *lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Ex eodem fonte promanat *ignorantia* quę in infantibus, ac pueris ne dicã senibus reperitur, item *fatuitas* ac discendi difficultas in adultis. In omnibus *finis vltimi* nostræque *beatitudinis* ignoratio. Ignoramus & *media* ac pręsidia ad illum finẽ consequendum. Nec mirum: nam & res nostras, quas tractamus, sint ne bonę vel malæ sæpè in dubium vocamus. Rerum naturaliũ principia, causas, ac naturas attingere vix possumus Quid mirum, cùm & *nostri cognitio* prorsus nos fugiat, aliena mala videamus: in nostris planè cæcutiamus. Huc facit quod dis-

difficillimè primam è terra ac luto manantē originem nostram oculis obijciamus; de fine atque exitu nostro vt cogitemus, in animum inducere non possumus; de nobilitatis insignijs ac stemmatibus, lubenter audimus, eademque læti nobis proponimus; gloriam ac memoriam immortalem post hanc vitam avidè concupiscimus: de pulvere vnde procreati, de sordibus, quæ ex corporibus nostris excernuntur, de morbis & infirmitatibus, de ijs quę à decessu obventura sunt, nempe de putredine ac fœtore corporum nostrorum, de ignibus sempiternis, de ratione Iudici omnia scienti reddenda; nō modò quidquam seriò in mentem revocari non patimur, sed ne ad aures quidem admittimus. Quid dicam de quęstione illa suprema, in qua summa rerum & salutis nostræ cardo vertitur? Qui salutem assequi velit, necesse esse à peccatis longissimè recedat, virtutes amplectatur, & opera sibi pręscripta exerceat. Modò verò homo vitia pro virtutibus colit, virtutes ignorat, & sibi in hac ignorantia complacet. Opera autem nulla, aut quę sibi dumtaxat bona videntur suscipit. Reprehendi recusat; et si id fiat, amico monenti succenset: scientiæ sanctæ ac cuiusvis disciplinę rudimenta aspernatur; nec virtutis aspectum admittit. Quid futurum homini tali, qui in hisce tenebris, horrēdam Gen. 1. 5.

rupem

discipulus, Philippenses solicitè monet, vt iejunium quadragesimæ magni faciant, quando qui quadragesimam iejunant, non homines, sed Deum ipsum imitentur, qui carnẽ nostram pro nobis indutus, quadragesimam consecraturus, quadraginta dies, & quadraginta noctes iejunavit. Denique octavo inter canones ab ipsis Apostolis conditos; qui quadragesimam non iejunaverint, iubentur, (si clerici sint) deponi; si laici, excommunicari. Itaque non frustra Sacrosancta Mater Ecclesia fidelibus suis, quod ab Apostolis, quod à maioribus accepit, nobis sub gravi interminatione observandum tradit, mandat, iniungit; & vt perpetuo ritu celebretur, pro virili perficit. *Cant. 8.*

SECTIO QVARTA.

Rationes instituti sacrosancti iejunij dierum 40. eiusque fructus.

1. OPinabitur forsan quispiam superstitiosum quid, in præciso numero quadragenario contineri; parum item referre; si quis triginta, aut viginti, aut etiam 60. dies iejunii sacri compleat? Cur etiam continuos quadraginta dies Ecclesia requirat? Cur certo & recurrenti tempore? Cur totius temporis pars in vere, pars in æstate, autumno item, & hyeme non compleatur? Ab-

Ieiunij 40. dierũ rationes. sit, vt ex aliqua superstitione iejunemus; sed ex Christi imitatione, & Apostolorum traditione, quadraginta dierum precisè iejunium observamus. Sanè rationes huius decreti solidissimæ adferri possunt. atq; inprimis, quia præcepta decalogi, quatuor modis violamus, ore, opere, cogitatione, omissione: idcirco quater decimum numerum diem iejunando, & carnem affligendo, complemus.

2. Accedit nos quadraginta dies iejunare, vt Deo decimas, & primitias totius anni consecremus. Nam dies triginta septem dierum omnium vnius anni (qui trecenti sexaginta quinque censentur) sunt decimæ. Addimus verò tres dies ad triginta septem, vt non solùm decimas, sed etiam primitias omnium rerum auctori deferamus.

Lib.4 in Lucam. *Numeri quadragenarij significatio.* *Gen.7.4* *Exod.16 35.* *Psal.94.* 3. Postremò ille numerus quadragenarius (vt Beatus Ambrosius auctor est) multis modis in sacris litteris est consecratus. *Quadraginta diebus pluit super terram in diebus Noe,* antequam orbis inundaretur. Et nos quadraginta dies iejunamus, vt in die iudicij diluvium ignis evadere, vt cum sanctis gloriosè ac feliciter innovari possimus. *Quadraginta annis* fuit hebræus populus in deserto, & cælesti cibo vsus est, antequam in terram promissionis, *terram fluentem lac & mel* ingrederetur. Et nos quadraginta diebus à cibis corporis abstinemus, vt cibo cælesti, & pane

An-

Angelorum commodiùs nutriamur, & tandem ad veram terram promissionis perveniamus. Quadraginta dies iejunavit Moyses, vt legē, Dei digito scriptam accipere mereretur. Et nos dies totidem iejunamus, vt eandem legem faciliùs observemus. *Quadraginta* dies iejunavit Elias antequam igneo curru raperetur in cælum. Et nos totidem dies iejunamus, vt igne caritatis succensi, ad regna cęlestia evehamur. *Quadraginta* dies iejunavit Christus antequam se tentandum exponeret diabolo. Et nos totidem dies iejunamus, vt armis iejuniorum instructi, diaboli tentationes faciliùs superemus. *Quadraginta* mensibus Dominus evangelium prædicavit; & *quadraginta* horis iacuit mortuus in sepulchro: & *quadraginta* diebus commoratus est redivivus in terris. Et nos totidem dies iejunamus, vt Christi Domini evangelium, cum fructu audire, & mundo, vitijsque mori, & Deo soli vivere possimus. Denique secundū legem qui virgis cędendi erant, non ampliùs quàm plagis *quadraginta* affici poterant. Et nos dies quadraginta iejunamus; quia iejunium est quasi quædam carnis flagellatio, & numerum quadraginta plagarum secundùm legem excedere prohibemur.

Deut. 9. 9. 3. *Reg.* 19. 8. *Mat.* 4. 2. *Act.* 1. 3. *Deut.* 25. 2.

4. Nec dividi tempus illud sacri iejunij expedit in quatuor anni partes, vt nimirum vere dies decem, ęstate totidem; & sic de duabus *Non dividendos 40. dies, in partes quatuor.*

cæteris anni partibus, quadraginta tand
dies compleantur. Iejunium continuand
venit, vt turris carnis nostræ, peccator
viribus ac præsidio munita, inedia ac fa
Simile accommodum. conficiatur atque expugnetur. Vt enim
ges obsidionem non in varias tempor
partes distribuunt, ne obsessi se communi
ac ruinas reparent. Ita & nos quatere c
pus nostrum cum vitiorum omnium pra
dio necesse est continenter, vt continua o
dione, ac rerum necessariarum subtractio
ad deditionem compellatur.

Omnibus simul ieiunandũ. 5. Sapientissimo deinde consilio definit
est, vt omnes vno tempore ieiunemus, q
commodiùs civitates sibi de piscibus & o
ribus prospicerent, hominesque faciliùs
junarent, dum alter alterum ad iejunandu
exemplo suo pertrahit: omnes quoque
mul Deum placemus longè efficaciùs, quà
si singuli seorsim diversis temporibus iej
Simile. naremus. Sicut enim homines quadragin
aut centum, pondus ingens facilè pertraher
quod singuli ne movere quidem poteru
ad eundem modum, Deum faciliùs ad mi
ricordiam trahimus, si omnes simul qu
vno impetu spiritus & fervoris iejunem
oremus, in cælum clamemus, quàm si hod
vnus, post mensem alius oraret ac iejun
ret.

Commoditas tẽporis. 6. Adde nullum tempus deligi posse ap

tis, quàm quod ab Apostolis delectum est. In æstate nempe, dierum prolixitas fastidium gignit: pisces non sunt adeo salubre; ægritudines occurrunt frequentiores. In hyeme ob maximum frigus externum, augetur calor internus stomachi, ac propterea ampliori cibo homines indigent. Eo quoque tempore pisces sunt nimis humidi, nec facile inueniuntur olera, quæ tamen magno vsui esse solent ieiunantibus. In autumno sunt etiam morbi frequentes, ob crebras temporum mutationes. Negotia quoque ac labores hominum, tunc sunt plurima ac maxima propter vindemias, ac cæteroru fructuũ collectiones. Itaque nullum tempus ad ieiunandũ magis aptum quàm ver; precipuè si veris principium accipiatur, vti nos in quadragesima solemus. Tunc frigore adhuc durante corpora sunt sana, tunc pisces sunt optimi: tunc olera vbique fermè inueniuntur: tunc negotia in agris & vineis sunt paucissima: tunc sanguis & humores crescunt: tunc homines sicut cætera animalia magis ad libidinem concitantur: tunc medicorum omnium sententia euacuatio aliqua, tam pro salute corporum, quàm animarum, necessaria est. nulla verò salubrior, facilior, expeditior, & magis secundùm naturam euacuatio reperitur, quàm ea quæ fit per inediam. Ita verè Beatus Hieronymus. *Nos vnam quadragesimam*

ie-

iejunamus tempore nobis congruo, vereque canit Ecclesia, *iejunium hoc animabus corporibusque curandis salubriter esse institutum*. Denique ij soli obligantur ad iejunium, qui per vires & valetudinem iejunare possunt: non ij qui ea valetudine sunt, aut sic laborant, vt ieiunium sine magno, vel valetudinis, vel rei familiaris, vel officij prestandi detrimento ferre nullatenus valent.

Epistola ad Marcel.

Qui ad ieiunium obligentur.

Hęc sunt quæ de oratione & ieiunio prout textus figuræ nostrę occasiones prębuere, dicenda habui. Deum immortalem rogo atque obsecro, gratiam nobis largiatur vt quæ posteritati mandamus, ea ipsa inprimis experiamur in nobis, demum prestantes orationis fructus omni conatu in alios derivare nitamur, ad honorem & gloriam sanctissime Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti rerum omnium auctoris, cui honor & gloria per infinita sæculorum sæcula. Amen.

FINIS.

INDEX RERVM LIBRI DE ASCENSV MOYsis in montem, iuxta ordinem alphabeticum.

Primus numerus indicat paginam, Secundus paragraphos adiunctos.

C

Cognitio Dei.

Vide scientia.

Cognitio svi.

Cor.

Con

EXA

GRATIA.

H.

HABITVS.

HVMILITAS.

I.

IEIVNIVM.

IGNIS.

ta

im-

mon-

Le-

OBEDIENTIA.

OCCVPATIONES NIMIÆ.

OTIVM.

PAS-

RE-

FINIS.

ERRATA.

Commune erratum est titulorum defectus, quos character in hoc libro vix expressit.

Fol.	Lin.	Error.	Lege.
9.	25.	ſubrahere.	ſubſtrahere.
30.	5.	appeltur.	appellatur.
45.	8.	audiat.	audeat.
48.	6.	dapellas.	dapes.
55.	2.	producunt.	producant.
84.	14.	ijdem.	ijſdem.
92.	22.	abruptas.	abrumpas.
114.	4.	impudentię.	imprudentię.
125.	4.	divini.	*adde* obſequij.
139.	11.	Vt.	At.
181.	10.	orationis.	rationis.
215.	22.	interminaturi.	interminatur, ni.
234.	11.	ſi.	*adde* nec.
242.	4.	Moyſes.	*adde* Ioſue.
336.	21.	nec.	*adde* arma.
341.	20.	tum	in tantùm
ibidem		etſi	nam ſi.
396.	28.	fit	ſit.
397.	27	exitum	exitium.

Hh Pri-

Privilegium.

EGo infra-ſcriptus Societatis Ieſu in Provincia Gallo-Belgica Provincialis, iuxta priuilegiũ à Sereniſſimis Principibus noſtris Alberto & Iſabella Societati noſtræ conceſſum, Facultatem dedi Petro Geubels Audomarenſi Typographo, vt librum, cui titulus eſt, *Aſcenſus Moyſis in montem*, à P. Ioanne Crombecio eiuſdem Societatis compoſitum, ad ſex annos proximos imprimere, & diſtrahere poſſit. Datum Audomaropoli 21. Auguſti 1617.

Ioan. Herennius.

8-1

IHS